Charlotte Maria Bury

LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY
OF ILLINOIS

Rare Book & Special
Collections Library

EPIGRAMMATA

PHILIPPI MELANTHONIS SELECTIORA, FORMVLIS PRECVM, HISTORIIS, PARAPHRASI DIctorum diuinorum, & ſententijs grauiſsimis maximè inſignia, ex edito Epigrammatum libello & aliunde excerpta: ac vt pueris in pia inſtitutione proponi & inculcari poſsint, ſeorſim cum indicatiunculis argumentorum, ad capita certa ordine aliquo collecta,

A

M. PETRO HEGELVNDO
Lectore Theolog. Ripenſi:

Inſuper & Iconibus argumento conuenientibus, elegantiſsimis exornata,

A

*SIGISMVNDO FEYERABEND
Biliopola Francofordiano.*



FRANCOFORTI ad Mœnum 1583.

LECTORI CANDIDO ET PVERIS.

Omnia miramur diuini ſcripta Philippi,
Et ſingulis pia cernui damus oſcula:
Omnia ſunt aurum, nec vt hîc ſecernere quicquam
Sit opus, bonum quaſi ſit præ alio aliud magis.
Ac ſaltem vt pueris tanti inſtillemus amorem
Artificis, eſt opus præ alio aliud magis.
Ardebas pueros quantum ipſe Philippe tenellos,
Tantum, ô, viciſſim pueruli in te exardeant:
Aureaq; alueolis ductore reponere diſcant
Te, mella, mellitiſſima Melanthone.


PET. HEG. R.

ALIVD AD EOSDEM.

Collegêre libris Epigrammata multa Philippi
Ingenio eximij iudicioq; viri.
Aſt Hegelundus apis genuina Philippica, libro hoc
Colligit hæc melius, collocat & melius.
Ergo ſit hic gratus, ſit mentio grata Philippi:
Namq; Deo ſtudium ſacrat vterq; ſuum.

NIC. CRAGIVS R.

GENEROSAE INDOLIS ET SPEI PRAECLARAE ADOLESCENTI OTTONI, NOBILISSImi viri GEORGII ROSENKRANTZII, Roſenholmiæ domini, Senatoris regni Daniæ, & conſiliarij regij ampliſsimi, FILIO S.



N*EQVE monere ego te, præſtanti ingenio adoleſcentem, neque confirmare debeo, qui vltrò officium facis: docere verò nullo modo, vtentem præceptorib. literatiſsimis: hortari tamen & velut è longinquo acclamare acriter currenti, id verò fortaſſe licebit. Dabis igitur*

hanc mihi veniam, Otto ſuauiſsime, vt cur te potiſsimum hic alloquar, & quæ conſilij mei ratio, benignus libensq́; audias. Multos iam annos ampliſsima fuit in gente noſtra familiæ veſtræ dignitas & decus: ex qua & olim multi, & nunc, prodiere præſtantiſsimi viri, belli & pacis tempore, Regibus & patriæ toti cariſsimi: quorum opera, vt Comici verbis vtar, in bello, in otio, in negotio, ſuo quiſq; tempore vſus eſt ſine ſuperbia. Sed hæc apud noſtros, omnibus in medio ſunt: & ego verecundia prohibeor, de tuis ad teipſum loqui, ne gentis veſtræ hiſtoriam texere, auribusq́; illa tuis dare voluiſſe, videri poſsim. Saltem igitur ad patrem ipſum tuum (hunc enim apud te, tum tua ipſius, tum mea, tum Reipublicæ cauſa, præterire nullo modo debeo) oculos atque animum conuertas. Noſti ipſe optimè, & ego id quod auditione iam olim acceperam, poſteà diuerſis temporibus, cùm ita res meæ ferrent, in aliquot dierum cum ipſo congreſſu & tanquam ſcholâ, coràm didici: quàm & temporis ſit parcus diſpenſator: quàm multum grauiſsimis ſtudijs: quàm nihil voluptatibus, ijs præſertim quas vulgus hoc nomine cenſet, quæ veræ non ſunt, tribuat: quàm ipſe voluntate ſua & iudicio, diſciplinarum optimarũ ſtudijs addictus ſit, peneq́; affixus, non minus ac noſtrûm aliquis, qui in libris abditi nullamq́; Reipub. partẽ attingentes, ſtudia hæc neceſsitate quadã vitæ ſimul tolerandæ & muneris tuendi, colimus: adeoq́; vt niſi legẽdo cotidie, meditandoq́; quamplurimũ temporis conſumat, non ſe viuere ſuauiter, imò prorſus non ſe viuere, exiſtimet. Declarauit ſanè iam ſæpius, in priuatis & publicis actionibus, quàm ipſe pro ſingulari perpetuoq́; ſuo in Rempubl. ſtudio, non inuitus in hoc deſudârit, vt patriæ noſtræ res memorabiles, & Danicæ gentis antiquitates, inde vſq; ab vltima hominum memoria, ex annalibus priſcis, ex archiuis & diplomatis regijs, è gentium exterarum commer-

mer-

Rare Book UIUC

mercijs, fœderibus, monumentis vetuſtis, maiorum relationibus, doctis deniq; coniecturis, hinc inde ſagaci ingenio & ſtudio indefeſſo erutas, veteres & nouas, in promtu ſemper numeratoq; habeat. Neq; adeò iniuria cum plurimis conqueritur, res geſtas hiſtoriamq; perpetuam gentis noſtræ, ſub poſterioribus aliquot bene multis Regibus, in iſto præſertim literis bonis & ingenijs felicibus affluente ſeculo, iam diu deſiderari: atq; ea quæ proximorum regum, vt dixi, quorum ætati ſuppares ipſi ferè ſumus, temporibus contigerunt, nullis propemodum monumentis publicis conſignata: ſed in paucorum hominum memoria & commentarijs priuatis conſeruari hactenus & deliteſcere. Quo maioris diligentiæ & expectationis opus fuerit, eam hiſtoriæ partem, in qua popularis noſter Saxo Grammaticus ante annos plus minus quadringentos deſiit, continuatam pertexere, cumq; dignitate ad poſteros propagare. Iſta igitur domeſticæ paternæq; diligentiæ & virtutis exempla tam illuſtria, accendere tibi animum debent, in ætate hac florente, ad ſtudiorum præclariſſimorum, omniſq; humanitatis amorem, & Muſas tanto ardore complectendas, quanto iam diu patrem vides: quantoq; opus eſſe exiſtimabis, gentilitio nobilitatis ſplendori literis & virtute exornando.

Sunt verò deinde & alia maiora, quæ vir deinceps factus, in viro, & quidem ad ſenectutis limen iam accedente imitabere. Atqui ex patre tuo, aut ex nullo diſces, quantum decus ſit, in omni actione et officio moderationem æquabilitatemq; eam tueri, in qua ſumma ſeueritas pari humanitatis temperamento condita ſit. Animaduertes etiam olim, quando & ipſe tu ex vmbratili ſtudiorum exercitatione (in qua nunc magna cum laude profectuq; verſaris) in lucem, puluerem, atque aciem forenſem

educeris: quàm parens tuus hactenus multis in difficillimis negotijs, & reip. temporibus, in iudicijs, in legationibus, in prouinciæ commiſſæ adminiſtratione, perſonam ſuſtinuerit grauiſsimam conſiliarij ſapientis, arbitri integri & caſti, iudicis religioſi, legati prudentis, magiſtratus vigilantis & æqui: quámque fuerit ſemper φιλοβασιλεύς δ' ὅμως καὶ φιλόπολις: & de quo non vulgò tantum, ſed etiam inter ſui ordinis homines viros clariſsimos, ea ſit integritatis & iuſticiæ exploratæ opinio, vt pro Catone noſtri temporis haberi poſsit, vtq́ non beneuolentia tantum, ſed & admiratione dignus apud omnes cenſeatur.

Inquirendum itaq́ tibi porrò fuerit, quibus ille gradibus ad hoc ampliſsimum dignitatis faſtigium & virtutis ſpectatæ decus conſcenderit: quo imitari & aſſequi poſsis felicius. Nempe ergo non ſatis ille putauit, illuſtri apud ſuos loco natum eſſe, aut imaginibus maiorum & opibus indormientem excellere: ſed maturè aſpera illa, at laudabili ad virtutem ingreſſus via, inde à teneris voluntate ſua, optimis ſtudijs ſe totum deuouens, animum doctrinæ eruditæ copia excoluit, naturæq́ bonitatem diligentia incredibili ſemperq́ ſibi inſtante confirmauit. In primis itaq́ ſcientiſsimos & prudentiſsimos quoſq́ vtriuſque militiæ, togatæ & bellicæ magiſtros, quo melior & vtilior ad ſuos rediret ciuis, adijt. Magnum etiam illum Lutherum, & incomparabilem omniq́ laude maiorem Philippum viuos audijt, et coluit: mortuos etiam in ſanctiſsimis ſcriptis loquentes vnicè complectitur, & cotidie ferè inter iſtos Theologiæ ſeſe lacerantis & collidentis fragores, audit, obſeruatq́. Cum verò ab aulis armisq́ abhorrere equeſtris ordinis hominem nefas duceret, illuſtriſsimæ fortitudinis heroi, Mauricio Electori nomen dedit, quando huius laudatiſsimis auſpicijs res maximæ per Germaniam in imperij & religionis negotio geri cœptæ ſunt. Patriæ

tan-

tandem ſe ſuæ ſiſtens, ingenij grauitatem amabili moderatione, & confirmata iam multo vſu prudentia, ita temperauit, eumq́ꝫ ſe domi & foris, in maximis & minimis præbuit, vt nuſpiã aut fidem, aut diligentiam, aut animum præſentem deſiderari pateretur. Per omnes itaq́ꝫ honorum gradus in ſummum togatæ militiæ ordinem euectus, ſereniſſimo Regi FRIDERICO II. veluti exemplum & imago antiquitatis, in precio eſt, & iam multos annos à conſiliis intimis. Ad eum modum pro patriæ commodis excubando, reipublicæ conſulendo, ſummos infimosq́ꝫ pari iure copulando, & quod omnium inſtar eſt, vera religioſi animi pietate Deum æternum fiducia Filij mediatoris colendo, vitæ & dignitatis æquabilem tenorem in hanc vſq́ꝫ ſenectam conſeruauit. Nihilominus tamen caſus humanos cogitans, & incertos euentus valetudinis, & naturæ communis fragilitatem, vtpote qui breui temporis interuallo duos amiſerit grandiores ſenatu fratres, Holgerum & Ericum, principes & ipſos in Republica viros: totum iam ſe in morte migrationeq́ꝫ meditanda occupatum eſſe oſtendit. Exhorreſcant alij & trepident ad mortis mentionem, quamq́ꝫ poſſint longiſſimè cogitationem à moriendi neceſſitate abducant, ij præſertim qui vitæ huius deliciis ineſcati, aut fortuna vſi paulo blandiori, firmum aliquid & diuturnum in rebus humanis ſomniant: at tuus parens in re quamlibet florente, ſtudio ſibi voluptatiq́ꝫ habet, τῇ εὐθανασίᾳ *artiq́ꝫ bene moriendi quàm plurimũ impendere meditationis, & cotidie quaſi vaſis conclamatis, ſarcinulas ad proficiſcendum componere. Ideo ad ſepulcrum familiare veſtrum, prope Roſenholmianum ſuum, frequenter & obambulat, & in exedra iſta ſua libenter ſeſſitat: non ſecus ac olim Iſaacus in agrum ſub veſperam exire ſolitus erat* ἀδολεσχῆσαι, *ſeu potius ad meditandum et orandum. Ideo locũ iſtum Bibliotheca exquiſita, ſignis, epigrãmatis,*

pictu-

picturis, & commonefactionibus grauiſsimis, veluti teſtamento ad pietatis iuſticiæq́ſtudium poſteros, etiam defunctus, obteſtaturus exornauit. Ita nimirum certus ipſe de felici ex hac vita in meliorem tranſitu, vt præſentem hanc piè contemnere, cæleſtem illam, & beatum electorum Dei πολίτευμα ardenter expetere, non ſimulatè videatur: & liberis etiam ſuis ſicuti viuendi, ita et bene viuendi, beneq́ moriendi autor eſſe vnicè cupiat. Hæc illa vna eſt, qua ad ſolidam gloriam & gaudium itur via, ſiue ea facilis, ſiue difficilis ſit: qui diuerſam ingreditur, fortunam, vt fertur, inuocet.

Sed dum ponere tibi ante oculos conor, quibus initijs ac fundamentis hæ tantæ ſummis in rebus laudes patri tuo excitatæ ſunt: videri fortaſſe aliquibus poſsim nimium multa dixiſſe: at ipſe mihi nequaquam ſatisfeciſſe, nedum patriæ noſtræ de tanto bono gratulari ſatis potuiſſe, videor. Virtutem ſanè laudari boni omnes libentiſsimè, nemo niſi malus, audijt inuitus: ſalutares autem moderatosq́ gubernatores à Deo donari, grata mente agnoſcere debemus, & precibus inſuper aſsiduis ipſi commendare, vtpote qui organa ſunt, & tanquam manus Dei, quibus generi humano cumulatiſsimè benefacit.

Intelligis quàm iuſtam habeas gaudendi tecum in ſinu, quod aiunt, & Deo æterno toto pectore gratias agendi materiam: quo magis omniq́ ad hoc contentione tibi enitendum vides, vt familiæ, in qua à Deo collocatus es, vetuſtæ nobiliſsimæq́, iam ad paucos redactæ, dignam te præbeas propria virtute propaginem ſimul & propagatorem: præſertim cum in te, velut AEneæ in ſuo Aſcanio, omnis tuo ſtet cura parenti. Tui itaq́ ipſius inflammandi cauſa, & voluntatis meæ atque obſeruantiæ in patrem tuum, patronum Mecœnatemq́ meum teſtificandi, libenter te cùm ſtudiorum gratia Roſtochij ſubſiſteres, quando Academiæ

Ger-

Germaniæ ſuperioris grauiter diſsidijs Theologicis concuterentur, literis meis quoties licuit ſalutaui: & nunc vbi vbi es, acclamatione mea conſequi cupio: ſemper verò te, tuaq́ſ ſtudia, quâ non poſſum corpore, mente ſequar. Eadem de cauſa libellum iſtum ex Philippicis Epigrammatis concinnatum in tuo nomine apparere, donec melius aliquid parare poſſem, volui. Ad hoc audendum aggrediendumq́ſ, pater ipſe tuus occaſionem mihi tum præbuit minimè negligendam, quando ſermones grauiſsimos non legum modò & hiſtoriarum, omnisq́ſ ſapientiæ ſucco imbueret: Verumetiam in Poëtarum hortos & viridaria ſubinde excurrens, epigrammatis veteribus & nouis, ceu floſculis odoratiſsimis, reſpergeret. Iniecit tum mihi ea res cogitationem, vt ex editis ſanctiſsimi viri Philippi Melanthonis epigrammatis & aliundè, quàm venuſtiſsima, & breuiſsima quæq́ſ ad formam & ſimilitudinem aliquam iſtorum ſcriptorum, quæ nunc Emblematum titulo à doctis inſigniuntur, deligerem, ordine tamen iſta aliquo, quæq́ſ pueris in pia inſtitutione inculcari omnia aut pleraq́ſ poſſent. Quocirca neq́ſ Epigrammata autoris omnia, neq́ſ integra ſemper aſſcripſimus; quin etiam hinc inde ex carmine epithalamio, aut epitaphio, aut paraphraſi aliqua ipſius prolixiori, ea ſolummodo decerpſimus, quæ noſtro huic inſtituto, hoc eſt, puerorum inſtitutioni ſeruire poterant: nonnulla etiam ex Poëtis noſtri ſeculi candidioribus & Philippi diſcipulis aut amicis, maximè Iohanne Stigelio, depromſimus: Veniam facti noſtri & ab his, & ab ipſius ſanctiſsimis manibus exorantes. Iam & in bonam ſpem veniebam, neque ſtudijs tuis alienum hoc prorſus accidere poſſe, neque patri tuo ægrè futurum, qui Philippum & coluit viuum, quem & mortuum vt oderit induci non poteſt, licet aliorum aſtuta crudelitate, aliorum friuola credulitate, ad hoc iam multi impellantur: ſi

faſciculum iſtum ex roſario Philippico contextum, tibi quàm ornatiſsimum, induſtriorum hominum opera editum curarem.

Non ſunt autem hi, Otto amiciſsime, hominis otio & voluptate diffluentis luſus aut argutæ nugæ, & comtulæ veneres: ſed inter ſtudia acerrima, labores docendi ſcribendiq́ aſsiduos, negotia difficillima, profectiones, certamina, è pectore Deum religioſè colentis expreſſa ſuſpiria, πάθη *ardentiſsima, & tantum non illitæ cartis lacrymæ. Rurſus autem & hic ſunt mentis piæ ſub mole negociorum reſpirantis, ſeſeq́ colligentis* ἤθη *leniſsima, & in Deo ſuauiſsimè acquieſcentis* παῤῥησίαι καὶ ἐπινίκια*: dum terras & mortalia omnia quaſi è ſublimi deſpiciens, cœlo penè ſe infert, inq́ ſinu & complexu Filij Dei certiſsima fiducia ſe collocat, vt quod de Stephano Philippus ſæpe in ore habuit, in corde ſemper ipſe habuiſſe videatur:*

Ibat ouans animis, & ſpe ſua damna leuabat.

Cæterùm vena Philippi in carmine fundendo (ſi modò de tanto viro iudicium nobis ſumere liceat: quod hac tamen fortaſsis in parte licebit) talis eſt, qualis ipſi mens fuit, nimirum pura, ſimplex, aperta, facilis, vndequaq́ pietatem ſpirans, in qua arrogantiæ, ſcurrilitatis, turbidorum affectuū, nigri ſalis mica nulla. Scire tamen potes etiam me tacente, non ipſum hoc viuum egiſſe, neque profeſsione aut ſtudio Poëtam fuiſſe: ſed obiter tantùm & veluti in tranſcurſu poematia ſcriptitaſſe. Tamen quod de Virgilio doctiſsimo, doctiſsimus pronūciauit Iulius Scaliger: Quò quiſq; doctior eſt, eò maiorē in Virgilij ſcriptis deprehendet eruditionē: *id nos non immutatū, ſed auctum potius, ſi de Philippo dixerimus, non errabimus:* Quò quiſq; eſt doctior, magiſq; pius: eò maiorem in Philippi

ſcri-

ſcriptis deprehendet eruditionem ſimul & pietatem. *Quando itaq; doctrina & pietas in hoc viro par fuerit: cùm cogitationes illas ſuas ſanctiſsimas, in numeros conieciſſet, non poſſunt non ſuauiter piam mentem afficere. Animaduertis quàm ego vellem, ſi meam iuuentus vocem auditura eſſet, Philippico nomini amorem & voluntates omnium conciliare: neq; tantùm vt micas iſtas & τεμάχη arripiat: ſed vt omnis etiam doctrinæ liberalioris initia, maximè verò religionis noſtræ fundamenta, ex ipſius ſcriptis ſibi deguſtanda hauriendaq́; eſſe cogitet. Verùm apud te, tuiq́; ſimiles, non multum in iſto argumento laborandum mihi eſſe, ſat ſcio.*

Paſcas interea hic eadem opera animum & oculos: cumq́; iſtis inſuper coniunges ingenioſiſsimorum noſtræ ætatis hominum libellos Epigrammatum, Iconum, παρῳδιῶν, γνωμῶν, Apophthegmatum, Emblematum rerum variarum, Alciati, Sambuci, Bezæ, P. Coſtalij, B. Anuli, Achillis Bochij, Cl. Paradini, Had. Iunij, Conradi Albini, Nic. Reuſneri, aliorumq́; vt cùm à ſeuerioribus ſtudiis animum remittere voles, aut inter proficiſcendum, meditandi fallendíque temporis pium & vtile argumentum arripere: ea tibi ſint ſtudio, quæ vltrò oculis & animo, doctrinam aliquam aut virtutis elogium & ſtimulos ingerant. Conceſsiſti iam in GERMANIAE ſuperioris ACADEMIAS eruditiſsimis hominibus liberaliſsimiſque ſtudijs & exemplis affluentes. Socios habes & æmulos ſtudiorum complures è nobilitate Danica lectiſsimos iuuenes. A vobis certamen ſuſcipi virtutis, doctrinæ, & eloquentiæ, quæ ſapientiæ eſt exornatrix, quàm vobis ipſis honorificum, quàm familijs veſtris decorum, quam patriæ denique iuuandæ & illuſtrandæ accommodum fuerit &

fructuoſum? Feliciter vale mi optime optatiſsimeq́ Otto, paternaq́ & auitæ integritatis & virtutis memor, patri gaudium maximum, fraterculo Holgero viuacis & mirifici ingenÿ puero, ſimulq́ patruelibus tuis Ottoni Chriſtophoro & Friderico, Holgeri filÿs, optimæ indolis & ſpei adoleſcentulis, vt exemplum illuſtre virtutis & diligentiæ ponas, vide. Deum æternum oro, vt patrem tuum in hac viridi ſenecta, non veſtræ tantum familiæ, ſed & totius patriæ commodo, quàm diutiſsimè incolumem conſeruet. Ripis Cimbricæ Cherſoneſi, Anno Chriſti M. D. LXXXII. die 20. Auguſti, quo ipſo die ante annos 23. ſolenni coronationis ritu inauguratus fuit Rex Daniæ Fridericus II. cui vt porrò æternus Deus, qui regna transfert & conſtituit, vitam & regnum in multos annos proroget, omnibus precibus nobis rogandus eſt.

Tui ſtudioſiſs.

M. PETRVS HEGELVNDVS
Lector Theologus apud
Ripenſes.

IN IN-

IN INSIGNIA FAMILIÆ ROSENKRANTZIORVM PERVETVſtæ & nobiliſſimæ.

Suprà extant PENNAE radijs interlitæ & auro,
Albaq́ purpureis ſparſa corolla ROSIS.
Ponè coronato ſubſultim fronte LEONES,
Stant teſſellatis obuij in alueolis:

Iuſticiæ & paci, eſt fas, arma tenere miniſtra:
Pectora proq́ aris ponere, proq́ focis.
Gloria militiæ tamen eſt, vel ſumma, togatæ:
Conſilijs patriam qui iuuat, ille iuuat.
Aurea pax ALIS plaudit: ſtat diuite CORNV
Copia: fert blandas præmia Muſa ROSAS.
Deniq́ tum bona ſunt Marti & commercia Muſis,
Si ſint antè domi CONSILIA, ARMA foris.

P. H.

IN INSIGNIA FAMILIAE LANGIORVM, ſigna militaria & Roſas.

Roboris inuicti dedit hoc inſigne Gradiuus,
Plurima victrici fixa TROPHAEA manu.
Ingenio, Charites, virtuti, oriq́ diſerto
Ternæ ipſæ in triquetro tres tribuere ROSAS.
Vt ſapere & facere hæc conando, tot hoſtica SIGNA
Stirps gerat, & rutilas, Langia, iure ROSAS.

P. H.

CAPITA LIBELLI
epigrammatum.

DOXOLOGICA, ſeu preces & hymni. 1

HISTORICA, ἐγκωμιαστικὰ καὶ θρηνητικά. 41

DIDACTICA
- Quę ad Eccleſiam propriè attinent. 85
- Politica, & quæ ad Magiſtratum ac leges 105
- Oeconomica ἢ γαμικά. 116
- Parænetica, & de ſtudijs rectè formandis. 126
  - de Aſtris. 137
- Ethica præcepta, ſeu Σωφρονιστικά, & regulæ vitæ. 141
- Gnomica miſcellanea. 149

FORMVLAE CONFITENDI ET PRECANDI ex Philippo & Camerario. 155

DOXO-

DOXOLOGICA, SEV PRECES ET HYMNI.

PRECATIONES AD FILIVM Dei, pro vera Dei agnitione & dono Spiritus ſancti.

Ex hiſtoria creationis: Gen. 1. Spiritus Domini FOVEBAT aquas.



Spiritus ut Domini naſcentia corpora fouit, "
Cùm manus artificis conderet ipſa Dei: "
Sic foueat cœtus, qui Chriſti oracula diſcunt, "
Accendatq; igni pectora noſtra ſuo. "

ALIA.

VT SPIRITVS SANCTVS SIT efficax in nobis voce Euangelij, & motus tales accendat, qualis ipſe eſt, id eſt, legi diuinæ congruentes.

Ex promiſſione Dei: Zach.12. Effundam ſuper domum Dauid Spiritum GRATIÆ & PRECVM.



„ EFfundam FLATVM, dicis, Dauidis in agmen,
„ Chriſte, EVANGELII qui ſolet eſſe comes.
Gratia magna Dei docili vt notiſſima fiat,
Vtq́; prece accedat non dubitante Deum.
Mentibus & petiiſſe iubes hoc munus anhelis,
Teq́; auidis iuras hoc dare velle bonum.

Ergo

Ergo voce tua confiſi Chriſte precamur,
AVRA Euangelij ſit comes iſta tui.
Luceat in nobis, & iuſtæ pectora noſtra
Aſsimilet legi, quæ data voce Dei eſt.
Te verè æternumq́ Patrem vt cognoſcere poſsint,
Et motus habeant, quos tua verba docent.
Hæc nos FLAMMA tibi iungat, ſummoq́ parenti: „
Ipſe ſit in nobis iam noua vita Deus. „

ALIA.

Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis. Pſal. 45.

O Vncte æterni læto Spiramine Patris;
Nate Dei ſocios vngito Chriſte tuos.

ALIA.

Quantò magis Pater veſter cœleſtis dabit Spiritum ſanctum ijs, qui ab eo petierint? Luc. 11.

Vox tua Gnate Dei eſt, accendere velle parentem
Æternum, Flatu pectora noſtra tuo:
Promiſſumq́ iubes munus votisq́ fideq́
Poſcat vt hic cœtus, qui tua iuſſa colit.
Hac igitur freti, Chriſte optime, voce rogamus,
Ignis vt inflammet pectora noſtra tuus. „
„

ALIA.

VT GVBERNET IPSE MENTES & ſtudia docentium & diſcentium:

Scripta à Philippo, paucis diebus ante mortem, nec abſoluta.



AEterno genitore nate CHRISTE,
Orator Patris ex ſinu verendi
Vocem Euangelij ferens ſuauem:
Qua credentibus exhibes potenter
Vitam, iuſticiamq́; ſempiternam:
Et qui ſanguine nos tuo redemtos,
Exaudis, reputas, facisq́; iuſtos,
Oſtendisq́; pijs tuum parentem:
Noſtras CHRISTE precor doceto mentes,
Ac in pectora gratiæ arrhabonem
Noſtra effundito SPIRITVM, mouentem
Caſta incendia, & inuocationem:
Fac pars agminis vt tui per omne
AEuum ſimus, alacriterq́; laudes

AEter-

Æterni Patris & tuas ſonemus,
Claro contuitu D E I fruentes.

PRO CONSERVATIONE Eccleſiæ & puritatis doctrinæ cœleſtis, precatiuncula.

Ex hiſtoria trium adoleſcentum, ſociorum Danielis, quos Nabogdonoſor in Caminum ardentẽ ligatos coniecit: quòd Statuam auream à ſe propoſitam adorare nollent. Sed Filius Dei in medijs flammis apparens, mirabiliter hos ab incendio tutos illæſosq́; conſeruauit: Rege ſtupente, & ad veri Dei venerationem conuerſo. Dan. 3.



TE mineat ſemper ſeruante Eccleſia Chriſte,
Inſertosq́, ipſi nos tua dextra tegat:

" *Tres velut in flamma teſtes Babylonide ſeruas,*
" *Rex vbi præſentem te videt eſſe Deum.*

ALIA.

Ex verbis Diſcipulorum duorum euntium Emaus. Lucæ 24.

" *Veſpera iam venit nobiſcum Chriſte maneto,*
" *Extingui Lucem nec patiare tuam.*

ALIA.

Pro incremento Fidei, facilè labaſcentis.

Credo Domine: opem fer incredulitati meæ. Mar. 9. Qualis & perhibetur fuiſſe precatio vltima Caſparis Crucigeri ſenioris: Inuoco te fili Dei, fide quamlibet languida, fide tamen.

" *Sed tamen hæc fidei modica eſt ſcintillula, fiat*
" *Auxilio petimus fortior illa tuo.*
" *Ac veluti lucis radios Sol ſpergit in orbem;*
" *Tu Sol iuſticiæ nos rege luce tua.*
" *Et non extingui patiare in pectore noſtro,*
" *Noticiamq́ tui, noticiamq́ Patris.*
" *Hoſpitiumq́ tuæ doctrinæ protege Chriſte,*
" *Emanuelq́ tuo ſemper adeſto gregi.*

IOH. IO. MAIOR.

" *Parua fides quoque grata Deo eſt, dum conſcia verbi*
" *Sanguine dependet, Maxime Chriſte, tuo.*

PRO

PRO REMISSIONE peccatorum.

Expiabis me Hyſſopo, & ſuper niuem dealbabor. Pſal. 51.

EN mea coccineum referunt delicta ruborem:
Horrida ſum crudo maſſa cruore madens.
Ablue me folijs Hyſſopi aſpergine viua,
Tunc ego candidior vel niue totus ero.

IOH. STIG.

ALIA.

Exemplo matris Cananeæ. Mat. 15.

Quantus erat dolor in Cananæa matre puellæ, "
Cuius mens furijs exagitata fuit: "
In tanto nunc eſt Eccleſia mœſta dolore, "
Doctorum furias cùm videt atque ducum. "
Sed tu Gnate Dei gemitus audito precantum, "
Nulla venit nobis, te niſi dante, ſalus. "
Tu procul à nobis ſæuos depelle furores, "
Et ſanes verbo pectora noſtra tuo. "
Quamuis ira tui nos vrget iuſta parentis, "
Atque ſumus turpes nos rea turba, canes: "
Attamen vt timidè ſub menſa captat herili, "
Eſuriens modicas parua catella dapes: "
Sic cùm dira fames noſtros abſumſerit artus, "
A menſa petimus pabula Chriſte tua. "
Gnate Dei generis noſtri maſſam induis, vt nos "
Viuifica infirmos hæc tua maſſa gerat. "

IOH.

IOH. STIG.

Exemplum fidei probat in Cananëide Chriſtus:
I nunc, & dubitans quære placere Deo.

ALIA.

VT DILECTIO DEI IN nobis permaneat.

Ex ardentiſſima oratione filij Dei ad æternum patrem ante agonem: Sit dilectio tua in eis, qua me diligis, & ego in eis. Ioh. 17.

„ *NEc tu gnate Dei maius meliúſve rogare*
„ *AEternum poteras, optime Chriſte patrem:*
„ *Quàm quali στοργῇ ſemper te diligit ipſe,*
„ *Diligat & ſimili nos vt amore pater.*
„ *Nec tribui nobis hoc poßit munere maius,*
Quid nati poſſet maius amore dari?
Non apud AEternum facis irrita vota parentem,
Affirmat iurans hoc Pater ipſe tibi.
Erga nos etiam es patrij tu pignus amoris,
Iuſſus pro nobis debita λύτρα dare.
Nos igitur quanquam ſumus ægra & ſordida maſſa,
Credimus iſta tamen munera ſumma dari.
Confiſiq́; tua prece Chriſte, pericula noſtra
A ſummo petimus cuncta parente regi.
„ *Tuq́; regas ſerueſq́; infirmos numine, qui vis*
„ *In noſtris viuens mentibus eſſe λόγος.*

ALIA

ALIA.

VT VNVM SIMVS IN CHRISTO. Ioh. 17.

In triſti ſudans quod poſcit agone cruorem
Æterno Chriſtus de genitore ſatus,
Semper concordes, vnumq́; ut ſimus in ipſo:
Cum Chriſto noſtra hoc vota animiq́; petant.

ALIA.

AD TRINITATEM,

Ex M. Lutheri carmine Germanico:
Erhalt vns HERR bey deinem Wort.



SErua DEVS Verbum tuum,
Et frange vires hoſtium,
Qui Ieſum Filium ſuo
Turbare conantur throno.

Oſtende nunc potentiam
O Chriſte Rex regum tuam;
Defende paruulum gregem,
Qui te fatetur principem.
Viuificator ſpiritus
Concordiam da cordibus,
Ades periclitantibus;
Cum morte conflictantibus.

IOH. STIG.

ALIA.

Adſere nos, verbumq́ tuum Deus optime ſerua,
Et rabiem Turcæ, Pontificumq́ preme.
Qui tecum æquali regnantem fœdere Chriſtum,
Conantur patrio præcipitare throno.
Da pacem, defende tuos: tibi ſemper vt omnis
Poſteritas laudet hic & vbiq; canat.

IOH. STIG.

PRO HOSPITIIS ECCLEſiæ & Scholarum.

FLecte precor nobis iratum Chriſte parentem,
Qui vis pro nobis ſupplicis eſſe loco.
Et quam ſparſiſti prolatam è mente parentis
Deleri vocem ne patiare tuam.
„ *Doctrinæq; tuæ ſtudium, paruamq́ Sareptam*
„ *Doctrinæ hoſpitium protege quæſo tuæ.*
„ *Et placidam clemens nobis concedito pacem,*
„ *Tuq; ducum mentes tu populiq́ regas.*

ALIA.



ALIA.

At tu ſumme Deus ſurgas terramq́; gubernes,
Abſq; tuo Regnum numine ſtare nequit.

ALIA.


Conſerua Regni formamq́; ſtatumq́; decorum,
Præfice concordes ipſe pioſq́; Duces.

PRO GVBERNATIONE ET *incolumitate nauiculæ Chriſti, quæ eſt Eccleſia ipſius.*

GREG. NAZIANZ.

Ζητῶ Νῶε κιβωτὸν, ὅπως μόρον αἰνὸν ἀλύξω.

OCeani rapidis vt ventis vnda cietur:
Semper habent varias ſic quoq; regna vices.



Vltima ſed motus grauiores ſentiet ætas,
Impia Turcorum quæ modò regna videt.
Chriſte tua hos inter fluctus quaſſabitur Argo,
Attamen hanc rabies mergere nulla poteſt.
Nos prolata tuo qui dogmata diſcimus ore,
In cymba ſerues optime Chriſte, tua.

ALIA.

Oppreſsit reducem, quam rexit, Iäſona nauis,
Quæ tulit auricomi velleris acer opes.
Non te Chriſte tamen, quam tu regis, opprimet Argo,
Sed victor ſeruas hanc etiam incolumem.
Nos ergo in portum deducas, atque gubernes,
Deleri nautas nec patiare tuos.

ALIA.

Ex hiſtoria Domini in nauigio dormientis. Matth. 8.

Nate Dei fluctus pelagi compeſce furentes,
Irruit in cymbam multa procella tuam.

Te qua-

Te quaſi ſopito iam mergi penè videtur:
Sed vigila, & paruum magne tuere gregem.
Vt tibi pertexat gratis præconia verbis,
Et tua perpetua nomina laude canat.
Aura tonet, ſonet vnda, minis fremat orbis & orcus: ‹‹
Tu tamen inſertos nos tibi Chriſte teges, ‹‹

IOH. IOACH. M.

MEDITATIO ADMIRANDI beneficij, Incarnationis Filij Dei, domini et Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti.

Nil ſum, nulla miſer noui ſolatia, maſſam ‹‹
Humanam niſi quòd tu quoque Chriſte geris. ‹‹
Tu me ſuſtenta fragilem, tu Chriſte guberna, ‹‹
Fac vt ſim maſſæ ſurculus ipſe tuæ. ‹‹
Hoc mirum fœdus ſemper mens cogitet, vno ‹‹
Hoc eſt, ne dubites, fœdere parta ſalus. ‹‹

PARAPHRASIS IOH. STIG.

Sum miſer, & non vlla dolens ſolatia noui,
Sumq́; adeò culpæ nil niſi maſſa meæ.
At tu ſolus habes, mihi quæ ſolatia præſtes,
Qui datus es maſſæ portio Chriſte, meæ.
Mors tua Chriſte mihi vita eſt, victoria regnum: ‹‹
Labe mea morior, ſanguine viuo tuo. ‹‹
Tu mihi rex pariter, pariter mihi Chriſte Sacerdos,
Pro me namque volens munus vtrumqne geris.
Deſtruis omnipotens veteris ſcelus omne Draconis,
A quo omnis noſtri manat origo mali.

Iratumq́ue tua placas pietate parentem,
Qua tuus in nobis crimina delet amor.
Ergo animam ſeruato meam, quam morte redemtam
Et vita gaudes germen habere tua.
" *Viuo tibi, moriarq́ue tibi, tibi deniq́ue viuam,*
" *Te quia iuſtifica, Chriſte, prehendo fide.*

ALIA.

" *Iunxiſti vt maſſam tibi noſtram Chriſte Redemtor:*
" *Æterno ſic nos fœdere iunge tibi.*

ALIA.

" *Cùm noſtram indueris mirando fœdere maſſam;*
" *Gnate Dei ſemper nos tua membra regas.*

ALIA.

Ex verbis Dauidis: 1. Paralip. 17. Aſpexiſti me in forma hominis, qui es in excelſis IEHOVA DEVS.

In forma quòd nos HOMINIS placidiſsime Chriſte
Aſpicis, & tamen es conditor ipſe DEVS:
Et noſtram formam miſeratus crimina deles,
Et vitæ æternæ gaudia vera dabis:
Hæc grati canimus tua dona, ſimulq́ue precamur,
Tu nos vt doceas, luce regasq́ue tua.

SILOH.

DE APPELLATIONE SILOH, quam Iacob tribuit naſcituro olim Chriſto: Epigrammata duo longè dulciſsima.

Iacob

Iacob Patriarcha morti vicinus, ordine Filijs benedicit, & futura prædicit: Diſertè verò Regnum penes tribum IVDAM futurum affirmat, donec vènerit SILOH, id eſt, is qui mittendus eſt, ſeu χόριον αὐτῆς, id eſt, fœtus ſeu filius eius, ſ. virginis matris. Gen. 49.



GNate Dei effigies æterni viua parentis,
Æterna Verbum mente ſatumq́ patris:
Indutus noſtra qui carne in virginis aluo,
Humanum accedis, maxime Chriſte, genus.
Te pius Iſacidès compellat nomine SILOH,
Quòd teneræ es fœtus virginis, ipſe tener.
Ac velut inuoluens fœtum membrana recentem
Dum rude ſub matris pectore turget onus,
Mollis, & ad motus non eſt durabilis vllos,
Pendet & à cotylis ſqualida tota nouis:

Sic in-

I. *Sic infirma fuit caro tunc tua maxime Chriſte,*
In cruce pro nobis cùm lacerata fuit.
Indueras etenim mirando fœdere carnem,
Huic noſtræ ſimilem ſupplicijq́ꝫ ream.
II. *Sed verè fragilis nos ipſi & ſordida pellis,*
„ *Materna chorion labe reumq́ꝫ ſumus.*
„ *Attamen hoc viuet chorion quando induis ipſe,*
„ *Voce tua ſanans atq́ꝫ cruore lauans.*
Sic autem nobis diuina hæc munera dantur,
Cùm diſcunt vocem pectora noſtra Dei.
Ac cœtus igitur diſcentum Chriſte tueris,
Vt chorion verè ſit ſchola caſta tuum.
Ah tua tuta precor ſeruetur faſcia SILOH,
Ne queat hanc vllus dilacerare furor.

ALTERVM.

Magni conſilij qui dicitur Angelus eſſe,
Æterno natus de genitore λόγος:
Edidit Iſacidæ læta hæc oracula voce,
Cùm fuit exilij duxq́ꝫ comesq́ꝫ ſeni:
Non prius amittet ſceptrum Iudæa propago,
Quàm veniet SILOH *miſſus ab arce poli.*
Perpetuæ reddet vobis qui gaudia vitæ,
Crimina cùm proprio veſtra cruore luet.
Cur tamen eſt dictus Seruator nomine SILOH?
I. *Quòd de virgineo nomine fœtus erit.*
Et fragili ſimilis chorio, pelliq́ꝫ cruentæ,
In cruce cum tabo vulnera facta fluunt.
Talis at eſt factus pro nobis faſcia Chriſtus,
Qnanquam iuſticiæ fons ſine labe manet.

Nos

Nos homines autem verè tam ſordida maſſa, II.
Nos lacerum chorion, putre reumq́ ſumus. "
Sed tu gnate Dei noſtras etiam indue pelles, "
Et vitam miſeris inſere faſciolis. "
Nec tamen hanc reddis, niſi qui tua dogmata diſcunt:
Tantum hanc ad vitam vis Deus eſſe viam.
Ergo precor ſtudia hæc tu ſemper dirige Chriſte,
Æterni Siloh vera propago Patris.

EGO SVM QVI SVM,
Exodi 3.



TVm Moſe ardebat ſcitari, & nomina tanti
Quærere ductoris, populisq́ exacta referre,
Omine ab hoc firmans animum, & ſic ore precatur:
O quem te memorem, qualíve ab origine ducam
Sancte Deûm, nam te non ſpernant ſidera regem,
Nec tibi vota neget terrarum maximus orbis,

Fare age quis venias: Quærenti talibus ille
» *Reſpondit dictis: ego SVM quem cernis, ERO QVE.*
SVM patris æterni proles, antiqua dierum,
AEqualis patri conſors in numine & æuo,
Viuo equidem, vitamq́ æterna in ſecula duco,
Principium & finis: Sed caſtæ virginis olim
Semen ERO, nomenq́ meum de nomine facti
Dicetur Siloh, venerandum in ſecula nomen.
» *Nunc IEHOVA vocor; ſed cum labentibus annis*
» *Natus ero, nomen ducam ſaluator Ieſus,*
» *Cùm nomen venient Iſch & Iehoua ſub vnum.*
Ille ego ſum, veſtris qui patribus ora reſolui.
Fatidico ſermone Deus, fataliaq́ arua
Pollicitus, ſeris habitanda nepotibus arua,
Quos ego morte obita viuos nunc æthere in alto
Aſſeruo, & quondam manifeſto in corpore ſiſtam.

IOH. IOACH. M.

PRECATIO VAGIENtis Eccleſiæ.

AEterni de mente patris SAPIENTIA nata,
In qua mundi operum fulſit idea noui:
Et quæ diſtinxit pulcerrima corpora rerum,
Et iuſsit formas ſingula habere ſuas:
Hæc eadem in paruis vagit ſapientia cunis,
Naturæ noſtræ membra tenella gerens.
Sic quanquam infundit ſe noſtra in pectora, nobis
Nondum ſe totam cernere poſſe dedit.
Vt tamen in nobis ſint tantæ exordia lucis,
Tanquam vagitus dogmata prima ſonat.

Non quanquam infirmos ſpernis, ſi debita credant
Te λύτρα pro nobis, Chriſte, dediſſe patri.
Ah precor infirmis adſis vt mentibus, atq;
Doctrinæ foueas ſemina ſparſa tuæ.
Dum tua ſe totam pandet ſapientia nobis,
Atq; patrem clara luce videre dabit.
Quando mortali ſoluentur carcere mentes,
Et duce te, cœli culmina celſa petent.
Chriſte tuo exulibus patriam tu ſanguine reddis, "
Nulla venit nobis, te niſi dante, ſalus. "

PRECATIO IN PERICVLIS extremis & humana ope inextricabilibus.

Cùm bello à ferociſſima natione Moabitarum & Ammonitarũ premeretur Iudæa: iamque certa immineret vaſtitas: pius rex Ioſaphat ab armis ad preces totum ſe conuertit. Et hac quidem ille fiducia, hoſtibus, ex mutua laniena, interitum: ſibi totiq; populo miraculoſam liberationẽ & ſpolia opima impetrauit. 2. Paral. 20. Eſt autem hæc particula precationis Ioſaphat:

CVM NESCIMVS QVID AGENDVM SIT, OCVLI NOSTRI AD TE DEVS ATTOLLVNTVR.

IN tenebris noſtræ & denſa caligine mentis, "
Cùm nihil eſt toto pectore conſilij: "
Turbati erigimus Deus, ad te lumina cordis, "
Noſtra tuamq; fides ſolius orat opem. "



» *Tu rege conſilijs actus, Pater optime, noſtros,*
» *Noſtrum opus vt laudi ſeruiat omne tuæ.*

IOACH. CAMER.

ALITER.

» *Dum mens noſtra graui caligine merſa laborat,*
» *Nec bene quod deceat, pectora cæca vident:*
» *Ad te oculos fixos, fida cum mente leuamus,*
» *Tu gemitus audi votaq́ noſtra Deus.*
» *Tu rege conatus, & robora mentibus adde,*
» *Vt tibi, quod faciunt, omne probetur opus.*

IOH. STIG.

ALIA.

Ex pſalmo 115. Tuus ego ſum: ſaluum me fac.

Nos tua cura ſumus, rerum pater optime, atq́
Nos cuſtode vno, fidimus atq́ duce.

Cate-

Cætera deficiunt nobis ſolatia: Quare
Nos tua defendat dextera, quæſo, pater.

ALIA.

Non nati caſu, non caſu viuimus ipſi:
Condidit, & factos ſeruat alitq; Deus.

ALIA.

Συμβουλήν τ' ἀγαθὴν, καὶ ἀφορμὴν, εὐτυχίαν τε.
Συμβουλῶτα ἐμοὶ Διὸς πατρὸς ἀϊδίου.

CONSILIVM ſapiens: OCCASIO commoda: felix
EXITVS: vnius ſunt tria dona Dei.

IN MORBIS ET CALAMItatibus conſolatio & precatio, exemplo Lazari. Lucæ 16.



AEGer & vlceribus ſqualens in corpore toto,
Hic iaceo, & pereunt tabida membra fame.

„ *Diuitis ante fores iacuit ceu Lazarus olim,*
„ *Cui faſtidito nemo ferebat opem.*
„ *Vt tamen à cunctis ſpretus, tua cura, tuoq́;*
„ *Exceptus gremio Lazarus ille fuit:*
„ *Sic æterne Deus, tua me clementia ſeruet,*
„ *Et miſerum dextræ protegat vmbra tuæ.*

ALIA PRECATIO.

IN PROFECTIONIBVS ET negocijs difficilibus: exemplo Iacobi.

Geneſis 32.



CVm redit Aſſyrijs Iſaaci gnatus ab oris,
Vxores ſecum filioloſq́; trahens:
Nec tantùm ignotas gentes, & barbara corda,
Verùm etiam ſocerum, fratris & arma timet:

Hunc

Hunc λόγ. gnate Dei, tua dextera texit, opemq́;
Luctanti, vt claudus vinceret ipſe, tulit:
Sic iter ingreſſos nos ad certamina ſæua,
Plena futura odij, plena futura doli,
Protege gnate Dei nos, conſilioq́; guberna:
Hoſtilis rabies ne nocuiſſe queat.

PRO COTIDIANIS DEI IN nos beneficijs, gratiarum actio.

Ex confeſſione Iacobi, Gen. 32. Minor ſum Domine cunctis miſerationibus tuis & veritate tua, quam expleuiſti ſeruo tuo: in baculo meo tranſiui Iordanem iſtum, & nunc cum duabus turmis regredior.



SVm minor, indignusq́; tuis, Pater optime, tantis "
Muneribus, præbet quæ tua dextra mihi. "

Qui

» *Qui veniam toties lapſo mitiſsime præſtas,*
» *Inſuper & cumulas me bonitate tua.*
» *Fac horum ſemper memor vt tibi grata rependam*
» *Obſequia, & proſint hæc tua dona alijs.*

PAVL. EBERVS.

PRO GVBERNATIONE totius vitæ, precatio.

ALme Deus, miſeræ defenſor maxime vitæ,
Qui nutu fulcis noſtraq; nosq; tuo:
Quoſcunq; imponis, da nos perferre labores,
Donec in hoc mundi viuimus exilio:
Et quæcunq; grauant preſſos, auerte pericla,
Sanctaq; ſollicito pectora ſolue metu.
» *Non humana regit fragilem ſapientia vitam:*
» *Nempe ſumus Domini quidquid, amore, ſumus.*
Da ſurgant clari poſt nubila triſtia ſoles,
Tuta ſit auxilio vita caduca tuo.
In primis fac nos à fœdo crimine puros,
Viuereq; in cordis ſimplicitate pij.
Lapſos ore tuo nos inſtrue, dirige verbo;
Ne ruat in vetitum neſcia vita ſcelus.
Admoniti, ſimus faciles agnoſcere culpam,
Et ſceleri verſa ponere mente modum.

GEORG. FABR.

PRECATIO ANTE CIBVM.

HIS epulis doniſq; tuis benedicito Chriſte,
Vt foueant iuſſu corpora feſſa tuo.

Non



Non alit in fragili panis modò corpore vitam: "
Sermo tuus vitæ tempora longa facit. "

ALIA.

Quæ nunc ſumemus membris alimenta caducis,
Hæc Deus imperio ſint benedicta tuo.

HERM. BVSCHIVS.

GRATIARVM ACTIO à ſumto cibo.

POſtquam epulis exemta fames, menſæq; remotæ,
Dicemus grates nos tibi ſumme pater.
Non hæc humanas vires alimenta iuuabunt,
Diuina ſi non hæ foueantur ope.
Namq; tuo viuunt agitata à Numine cuncta,
Adflatu ſpirant cuncta valentq; tuo.
Nunc etiam gratis animis alimenta miniſtra,
Atq; immortali pectora paſce cibo.



Et quia cura ſumus tua nos, Pater optime, ſerua,
Et ſtudia & vitæ tempora cuncta rege.
Cumq́; epulas dederis, rerum pater optime, nobis:
Adde epulis vires pro bonitate tua.

ALIA.

Quod ſumus vtilibus dapibus, potuq́; refecti,
Laus tibi pro donis ſit, Deus alme, tuis.

HERM. BVSCHIVS.

ALIA.

Qui largo corpus potuq́; ciboq́; refecit,
Paſcat & æterno corpora noſtra cibo.

IOH. GIGAS.

DE VENIS METALLIcis, gratiarum actio.

Sulphur & ὑδράργυρος, ſeu argentum viuum, prima ſemina metallorum.

Quin

Quin etiam grates pro tanto hoc munere dico,
Quod certum eſt artis tantum opus eſſe tuæ.
Intima quòd venas ſparſiſti in viſcera terræ,
Vſibus vt noſtris apta metalla ferant.
Lactea vbi fumis hydrargyra mixta coquuntur.
Sulphureis fibræ ſemina prima nouæ.
Dantq́ alias formas cœleſtia lumina maſſis,
Et vagus in terris hoc iuuat ignis, opus.
Sed ſatis effari queat hæc miracula nemo: “
Hoc certum eſt, naſci cuncta fouente Deo. “
Vis etiam noſtro quæri hæc tua dona labore, “
Legitimos vſus & tua dicta docent. “

PRECES PRO SVCCESSV ET *fructu ſtudiorum.*

Mellificæ vt nos ſimus apes, fac optime Chriſte, “
Alueolos verè & nos facito eſſe tuos. “

PRECES INGREDIENTIS *templum.*

Chriſte meo lætum Paradiſum in pectore planta, “
Sic modò triſtis ager, mox Paradiſus ero. “

IOH. STIG.

O Λόγε, templa Dei fac vt viuentia ſimus, “
Æternæ vitæ læticiamq́ dato. “
Da ſoboli noſtræ pacem, moresq́ guberna,
Et ſint qui vera te pietate, colant.

PRECES PVERI EX LVDO *reuertentis.*

Quàm multa audiui menti ſeruanda tenellæ,
De moribus, de literis?

Quamq́; meos cupidè vidi aduertiſſe ſodales,
Monit docentis omnia.
At tu cunctorum largitor Chriſte bonorum,
Senſus iacentes excita:
Vt bona percipiant, & ſicut cera, ſequantur
Fingentis artificis manum.
Fac nihil à ſtudijs vnquam diuellat honeſtis,
Non frigus, æſtus, non fames.
» *Quantulacunq́; pij perdurem portio cœtus,*
» *Tuæq́; membrum Eccleſiæ.*

GEORG. FABR.

PRECES VESPERTINÆ cubitum euntis.



PRo nobis vigiles te, maxime Chriſte rogamus,
Sopitos ſenſus dum tenet alta quies.

Sit tuus ad dextram bonus angelus, atq; ſiniſtram,
Cœleſti miſeros qui tueantur ope.
Triſtia terrifica qui pellat ſomnia noctis,
Et quicquid trepido corda timore mouet.
Vt cùm depulerit tenebras aurora, diurnum
Auſpicijs lætis aggrediamur opus.

GEOR. FAB.

Εὐλογία ἱερατική.

PRECATIO EX BENEdictione. Num. 6.

I. Benedicat tibi Dominus, & cuſtodiat te.
II. Oſtendat Dominus faciem ſuam tibi, &
III. miſereatur tui. Conuertat Dominus
vultum ſuum ad te, & det tibi pacem.



OPtime Chriſte tuæ quæſo benedicito turbæ, I.
Ac inter vitæ ſæua pericla tege. «

„ *Te dabis vt cernat verè eſſe patremq́; Deumq́;,*
„ *Certa venit nobis, ſi miſerere, ſalus.*
„ *Placatumq́; animum, vultusq́; oſtende paternos,*
„ *Proſperaq́; eueniant cuncta fauore tuo.*

PRECATIO DOMINICA, *iambico dimetro expreſſa* A IOHANNE STIGELIO.

Ex Mart. Lutheri Germanica paraphraſi.



DEVS ſator mortalium,
Terræ potens & ſiderum,
Qui mitis in nos aſperos,
Grauisq́; culpa conſcios,

Gaudes

Gaudes patris vocabulo,
Nutuq́ſ ſeruas omnia.
Fac innoteſcat omnibus,
Nomen tuum mortalibus,
Verbi tui ſuauiſſima
Sic inſtruat nos gratia,
Vt te colamus vnicum,
Sicut iubes per Filium.
Accende mentes lumine,
Tuiq́ſ regni imagine,
Vt incoënt hîc aurea
Vitæ perennis ſecula,
Regno tuo nocentium
Infringe vires hoſtium.
Fac noſtra ſemper vt tuis
Mens acquieſcat legibus,
Conſentiat cum cœlica
Terrena pax concordia,
Iuſſum miniſtret mens opus,
Curæ tibi ſit exitus.
Dum congregatim viuimus,
Largire nobis quæſumus,
Externa vitæ commoda,
Quibus vigent commercia:
Agnoſcat iſta caritas,
Agatq́ſ verè gratias.
Ignoſce noxam ſontibus
Culpæq́ſ vim dolentibus,
Delicta ſi nos hoſtibus
Non aſperè remittimus,

Depe-

Da pœnitere mens queat,
Vt te iuuantem ſentiat.
Nunquam ſinas nos obrui
Draconis aſtu perditi,
Captos ſed hoſtis artibus,
Tuis tuere viribus,
Fac militemus ſtrenuè,
Et compotes victoriæ.
Nos adſeras ab omnibus
Calamitatum caſibus,
Ducemq́; mentem corporis
Ex mole duri carceris,
Cùm poſtulabunt tempora
Hinc transferas ad ſidera.
AMEN.

GRATIARVM ACTIO *pro miniſterio Angelorum.*

Sapphicon.

DIcimus grates tibi ſumme rerum
Conditor, Gnato tua quòd miniſtros
Flammeos finxit manus, angelorum
Agmina pura.
Qui tuæ lucis radijs vibrantes
Te vident lætis oculis, tuasq́;
Hauriunt voces, ſapientiæq́;
Fonte fruuntur.
Hos nec ignauum ſinis eſſe vulgus,
Nec per ingentes volitare fruſtra

AEthe-



Aetheris tractus, temerè nec inter
Ludere ventos.
Sed iubes Chriſto comites adeſſe,
Et pios cœtus hominum tueri,
Qui tuas leges venerantur, atq;
Diſcere curant.
Impÿs ardens odÿs & ira
Nam tuis caſtris Draco ſemper infert
Bella, qui primus ſcelus atq; mortem
Intulit orbi.
Hic domos, vrbes, tua templa, gentes,
Et tuæ legis monumenta tota,
Et bonos mores abolere tentat
Funditus omnes.
Interim ſed nos tegit Angelorum,
Quem ducem Chriſtum ſequitur, caterua.
Atq; graſſantis reprimit cruenta
Arma Draconis.

Angeli LOTHON Sodomæ tuentur,
Inter infeſtos ELISAEVS hoſtes
Angelis cinctus, nihil extimeſcit
Bellica ſigna.
Tutus eſt inter medios Leones
Angelis ſeptus DANIEL Propheta:
Sic tegit ſemper Deus his miniſtris
Omnia noſtra.
Hoc tuum munus celebramus vnà,
Et tibi noſter chorus, Angeliq́;
Gratias dicunt ſimul accinentes
Conditor alme.
Et tuo templo vigiles vt addas
Angelos ſemper, populoq́; Gnati
Qui tuum verbum colit, obſecramus
Pectore toto.

ALIA.

DE S. IOHANNE BAPTIſta, primo doctore noui teſtamenti.

AEterno gratias Patri
Omnes canant Eccleſiæ:
Quòd nuncium verbi ſui
Iohannem nobis miſerit.
Hic mores exui malos
Iuſsit, metuq́; Iudicis
Mox adfuturi terruit
Superbas mentes omnium.

Rur-



Rurſusq́; perculſos metu
In ſpem vitæ certam vocat,
Et monſtrat agnum digito,
Qui placat vnicus Deum.
Hæc ille firmo pectore
Docet, Chriſtumq́; prædicat
Venire, ceu ſolem nouum
Prodire aurora nunciat.
Nec Phariſæi ſpiritum
Fregerunt ingentem viri,
HELIAS alter hic fuit,
Hypocritas dum arguit.
Te ſumme rogamus pater,
Vt corda noſtra ſuſcites,
Vt verè poßint credere
Iohannis teſtimonio.

ALIA.

DE CONGRESSV MARIÆ matris Domini et Elizabethæ: prima Synodo noui teſtamenti.

AEterne gratias tibi
Dicamus omnes conditor,
Quòd inter hoſtes plurimos
Eccleſiam ſeruas tamen.
Vt inter arma gentium,
Herodis & ſatellites,
Interq́ tetros dogmatum
Furores, & deliria:
Seruas Mariam virginem,
Domumq́ caſtæ Eliſabeth,
Quæ prædicant munus tuum.
Datumq́ Chriſtum nunciant:
Non Pontifex, non Principes,
Etſi ſciunt oracula
Vatum, veniſſe nouerant.
Salutis autorem nouæ.
Sed dulcis hæc Eliſabeth
Et virginis congreſsio
Arcana promit cæteris
Verè Deum colentibus.
Aluoq́ fœtus conditus
Longo ſacerdotum agmini
Agnoſcit ignotum ducem,
Adorat & geſtu ſuo.

Hæc prima ſynodus fuit, "
Teſtata de Chriſto Duce, "
Poſtquam ſtatuto tempore
Verbum Patris factum eſt Caro.
Accenſa teſtimonijs
In corde noſtro talibus
Colat fides, & inuocet
Chriſtum Mariæ filium.
Opemq́ ſpe firma petat,
Miſſumq́ credat à Patre,
Vt inuocantes adiuuet,
Maliſq́ cunctis liberet.
Amen.

QVERELA ANIMARVM PIArum ad Deum, de Tyrannis qui interficiunt pios propter Euangelij profeſſionem.



O Pater alme Deus, terræq́; poliq́; creator,
    Iſta manum cuius machina vaſta tremit.
Omnia qui cernis, veriq́; es amator & æqui,
    Fallere quem non eſt vllius arte doli:
Vnicus innocuis, ſi iuſtus es arbiter, vmbris,
    Solus & inſontis ſanguinis vltor ades:
Si tua pacifici cruor intemeratus Abeli,
    Voce fatigauit ſidera clara poli,
Ecquid adhuc iuſtam lentus non ſurgis in iram?
    Et potes hæc contra te fera tela pati?
Ecce rebellantes audacter vt omne Tyranni
    Iusq́; tuo Chriſto fasq́; piumq́; negant.
Reſpicis inſontes animas, triſtemq́; cruorem;
    Illis pro verbo quem damus ecce tuo?
Reſpicis, & patulis gemitus hos auribus hauris,
    Quos tibi ſemineces reddimus ore pio?
» Vtq; truces rarò triſti ſine cæde Tyranni,
»   Et ſicca ad Stygias morte feruntur aquas:
» Sic quoq; nunc meritas pendent cum ſanguine pœnas,
»   Quos iuuat iniuſta tingere cæde manus.

CHRI-

CHRISTO TRIVMPHATORI.



ERgo tuus meus eſt, meus eſt hic Chriſte triumphus,
Perpetuò quoniam te iuuat eſſe meum.
Deuicto refero tecum ſpolia ampla Dracone:
Iuſta tibi pulſa morte trophæa loco.
Cotidiè attrita fac tecum morte reſurgam,
Ex humeris pendens ſarcina grata tuis.

IOH. STIG.

Bonum eſt nos hic eſſe.

DE GVSTV VITÆ ET GLOriæ cæleſtis, quam Filius Dei in transformatione ſua præbuit Diſcipulis, Matth. 17.

Paruus hic æternæ vitæ & cæleſtis honoris
Guſtulus, attonitos anguſto in pectore ſenſus
Quàm ſubitò abſorpſit? quid cùm ſe in luce videndam
Lucis inacceſſæ Maieſtas offeret? ô quàm
Chriſte manere bonum fuerit tecum, in te, & apud te:
Quando ipſe electis vis omnia in omnibus eſſe.

P. H.

Deſiderium Vitæ æternæ.

Abſumus à te,
Viuimus ex te,
Fidimus in te,
Tendimus ad te
(Non niſi per te)
Optime CHRISTE.

P. H.

HI-

HISTORICA.

ΕΓΚΩΜΙΑΣΤΙΚΑ ΚΑΙ ΘΡΗ-
ΝΗΤΙΚΑ.

IMAGO ECCLESIAE: ſeu, Moſes ſtans in cauerna rupis, ac videns poſteriora DEI prætereuntis. Exodi 33.



NON hæc pigro hominum concreta ex puluere moles,
Inſuper & vitijs contaminata ſuis,
Suſtinuiſſe poteſt diuini incendia vultus,
Cùm ſordes noſtras Iudicis ira videt.
Ergo iubet Moſen ſublimi inſiſtere rupi,
Illius & latebris ſe tenuiſſe cauis.
Hac ego præteriens, inquit, dabo terga videnda,
Sic, & vt interea te mea dextra tegat.
Nos quoq; in immota docuit conſiſtere rupe, "
Amplecti Gnatum dum iubet ipſe ſuum. "

 Et la-

„ *Et latebræ nobis ſubeundæ, Eccleſia ſola eſt,*
„ *In qua Euangelij dogmata pura ſonant.*

MOSES FERIENS PETRAM.

Exemplum Fidei vacillantis, ſed tamen eluctantis. Exodi 17.



IAmq́; animas exhalabant, ſiccata labellis,
Dum matrum infantes vbera fortè trahunt:
Expirantq́; ſimul matres, triſtiq́; ſepulcri
Munere maternus fungitur ipſe ſinus.
Ergo iubet Moſen percuſſa educere rupe,
Pro populo vndarum flumina larga ſuo.
Obſequitur Moſes, noua ſed confuſio mentem
Turbat, & aggreſſo diriguêre manus.
Et cuius nunquam pectus trepidauerat antè,
Si quando fuerant iuſſa obeunda Dei:

Iam

Iam veluti nauis ſcopulis illiſa fatiſcit,
Sic rupem aſpiciens excidit iſte ſibi.
Et ferit, & dubitat: ſed mox ſe colligit ipſe,
Et vigor in pectus, qui fuit antè, redit.
Ergo ardens iterum rupem Sineida pulſat,
Et baculo cogit cedere ſaxa ſuo.
Quodq́; riget latè loca vaſta effundere flumen,
Vnde ſibi dulces hauriat agmen aquas.
Hoc Deus exemplo monſtrat ſe paſcere egentes,
Quos ad militiam deligit ipſe ſuam.

MOSES ORANS.

Deteſtatio negligentiæ & intermiſſæ inuocationis diuini auxilij.

Ex capite Exodi 18.



ACer Idumæus, loca per deſerta vagantes
Acere Ebræos finibus auſus erat.
Conſeruitq́; manus, ſed Moſes arma ſuorum
Adiuuat, & precibus prælia magna ciet.
Et vincit quoties palmas ad ſidera tendit,
Quemq́; vocat, coram ſentit adeſſe Deum.
Brachia ſed quoties iterum laſſata remittit,
Cogitur Ebræi cedere turba Ducis.
Ergo die toto dum fuſus pellitur hoſtis,
Erectas palmas vt tenuiſſe queat,
Subijcitur cubitis orantis ſaxea moles,
Sollicitoq́; ſuis corde petentis opem.
„ *Sic quoties curamq́; precesq́; remiſimus ipſi,*
„ *Ocia ſecuris inſidioſa nocent.*
„ *Illecebræ vacuas ſubeunt dulcedine mentes,*
„ *Et facilè in vitium pectora prona trahunt.*
Exacuant igitur tot noſtra pericula curas,
Propoſitæ nobis exitijq́; viæ.
Nec quiſquam putet his ſe emergere poſſe procellis,
Auxilium præſens nî Deus ipſe ferat.
Conditor æternus vera eſt tibi voce rogandus,
Hunc tamen vt places ara petenda tibi eſt.
„ *Nulla eſt grata Deo, niſi Chriſtus filius, ara,*
„ *Qui luit officio crimina noſtra ſuo.*
„ *Huic impone manus, huic toto incumbito corde,*
„ *Ad patrem noſtras perferet ille preces.*

IN AB-

IN ABSOLONEM.

Abſolon filius Dauidis, mango animo & corpore ſpecioſiſsimo iuuenis: cupiditate regni accenſus, patri grandæuo, quem regno exuere vellet, inſidias & odia ſtruere, ſibi gratiam prenſando & pollicitando colligere, denique ſeditionibus plebem agitare, non fuit veritus. Tandem acie tota, de ſumma rerum dimicaturus, præliū in ſilua dēſiſſima, loco impedito, cōmiſit: vbi exercitu diſſipato, & cæſis 20. millibus ciuiū ſeditioſorum, ipſe in fugam conuerſus: incitato impetu in ramū quercus incurrit. Ex quo cæſarie nexu arctiſſimo mirabiliter intricata: & mulo, quo vehebatur, elapſo, ſublimis pepēdit. Inſuper à Ioabo trib. lanceis cōfoſſus, ignominiosè & regno, qđ affectauit, & vita exutus eſt: Deo in ipſo exēplū ſtatuente, q̃tū peccatū ſit, in parentes impietate, in magiſtratū ſeditionib. cōſurgere. 2. Re. 18.



Dege-

„ DEgener immerito rapuiſti ſceptra parenti,
„ O Iuuenis patriæ peſtis acerba tuæ.
„ Digna tuis factis ſed pœna ſecuta, vagantem
„ Frondibus arboreis implicuêre comæ.
„ Haſta Ioab maduit forti vibrata lacerto,
„ Sanguine, transfixo pectore tincta tuo.
„ Has ſcelerum pœnas pulſo dedit ille parente:
„ I nunc, & patrijs inſidiare bonis.

MORS SIMSONIS.

Iudicum 16.



NEC mora, trans ſtatüas protendit vtroſq; lacertos
Obnixus, tollitq́; loco, quaſſatq́; trementes,
Suſtollensq́; oculos cælo, ſic voce precatur:
Supremum hunc, Deus alme, mihi concede laborem,
Nunc moriamur, ait, ſed non moriamur inulti,
Ipſe ego conuellam quaſſati culmina tecti.

His

His me, (quando aliud melius nihil ipſe reliqui)
Aggrediar telis vel in ipſa morte tueri;
Morte mea vincam, quos vincere neſcio Marte. "
Dixit, opemq́ Dei non vana in vota vocauit.
Nam pariter ſtatuas magna vi ſtrenuus ambas
Impulit in latus, & domus alta repentè ruinam
Cum ſonitu dedit, & procerum ſuper agmina læta
Incubuit, cœlumq́ horrendo puluere texit.
Dat tellus gemitum, concuſſaq́ viſcere in imo eſt.
At iuuenem egregium functum iam luce, ſupremis
Muneribus decorant, & ſaxum carmine ſignant.

EPITAPHIVM.

Crine potens Simſon, patria requieſco ſub vrna; "
Mors mea deuicit, quos Mars non ſuſtulit, hoſtes. "

IO. IOACH.

IN SAVLEM.

1. Regum 31.



IEſsidæ toties meditatus funera Saulus,
Supplicium proprio perditus enſe dedit.

ALIVD.

Tota Deo inuiſi perijt domus impia Saulis,
Ieſsigenæ ſalua poſteritate domus.

IOH. STIG.

IN PHARAONEM.

Exodi 14.



CVm Pharao inſtructis gentem Iſraëlitida turmis
Per medias vrgens inſequeretur aquas,
AEquora diuinæ diſiecit ſpiritus iræ,
Area per medias ſæua patebat aquas.
Parte ab vtraq; alti ſtabant, ceu mœnia, fluctus,
Quos ita miranda fixerat arte Deus.
Gens dilecta Deo nudas tranſibat arenas,
Fugit & hoſtiles per vada tuta manus.

At ſi-

At ſimul et vires & cæci pectoris iram
Dum putat in medijs pondus habere vadis,
In medijs perijt Pharao temerarius vndis, "
Ante homines pariter turpis, & ante Deum. "
Diſcite mortales, Numen cæleſte vereri: "
Nulla eſt in ſummum vis diuturna Deum. "

IOH. STIG.

ALIVD.

IN PHARAONES,

Qui Eccleſiam filij Dei, hoſpitijs & nidulis ſuis deturbant.



QVI lateres duplicas, qui infantes flumine mergis,
Nil agis, & laterem ſæue Tyranne lauas.
O toties mentite Deo, iam ſæpius omnem
Naturæ violas hoſpitijq; fidem:

Per terras, per ſaxa pios rabioſus adurges,
Iamq́; per æquor eques, res noua, perſequeris.
Cede Deo: cedunt imbellibus æquora turmis,
Æquora mox fremitus obruitura tuos.
I nunquam rediture: ab aquis rectà ibis in ignes
Æternos, Stygij balnea opima ducis.
Regibus hoſpitium patet hoc commune, negârunt
Qui Chriſti in terris hoſpitium gregibus.

PE. HEG.

IN IVLIANVM APOSTATAM, Eccleſiæ Chriſti perſecutorem.



VIdi ego, ceu lauri germen, florere malignum:
Præteriens paruo tempore, quæro: fuit.
An non à magno qui nomen habebat Iulo
Floruit, & læſit viq́; dolisq́; pios?
Floruit, & cauſa tandem deuictus & armis
Dum iacet, & ſparſus vulnere ſanguis abit:

Viciſti

Viciſti Galilæe refert: ſimul iuit ad Orcum
Vmbra gemens, pœnas, & ſine fine luit.
Ille domum bello rediturus, funera vouit:
Sed perit, & bello non redit ille domum.

IO. IOACH.

ALIVD.

IN TYRANNOS.

Impius occubuit gelidis Maxentius, vndis: "
Putribus Herodes lendibus eſca fuit. "
Perſica Iuliadem blaſphemum ſica peremit, "
Conſtricto pœnas Commodus ore dedit. "

IOH. STIG.

SAREPTA.

Ad Sareptam oppidum, prope Sidonem, fuêre olim fodinæ metallicæ: vnde & nomen loco datum.



EXul vbi viduæ pietate exceptus Elias
Sidonia quondam non procul vrbe, fuit.
Hic à conflatis antiqua Sarepta metallis,
Artem & opus monſtrat nomine clara ſuo.
Diſce Sareptanæ viduæ pia facta fidemq́;:
Hæc aliqua vt referas parte, precare Deum.

IN RITVM,

τῆς χειροθεσίας,

SEV IMPOSITIONIS MANVVM, QVO conſecrabantur olim victimæ, & nunc in Eccleſia Sacerdotes, quando publica ordinatione commendatur eis miniſterium Euangelij.



MOS vetus, & prima deductus origine mundi,
Traditus & ſancta relligione Patrum:

Sacri-

Sacrifici manibus pecudis contingere frontem,
Hoſtia quæ pura eſt iam facienda Deo.
Norma Sacerdotem ſimilis cur dedicat ipſum,
Impoſita cur ſit ſanctus & ipſe manu?
Teſtatur ritus puram eſſe, Deoq; dicatam
Ante aras pecudem quæ ferienda cadet.
Sic inculpatum mos hic iubet eſſe miniſtrum, I.
Qui iam doctoris munus obire volet.
Non aliquo ſit mens polluta errore profano,
Vitaq; ad exemplum crimine tota vacet.
Addictusq; Deo diuina oracula tradat,
Officij metas nôrit & ille ſui.
Lege datos faſces alij permittat habendos,
Nec rector trepidi geſtiat eſſe fori.
Non vulgi frenos populari deditus auræ,
Nec morum laxet vincula grata Deo,
Nolit ad affectus Regum cæcosq; furores
Flectere ceu turpis iuraq; faſq; Gnatho.
Quiq; manum imponit rectoris nomine ſummi,
Semper vt huic curet ſubditus eſſe iubet.
Doctrinam moresq; regant cæleſtia dicta,
Et noua non auſit condere iura ſibi.
Heu quantam rerum molem, quæ pondere doctor, "
Infirmis humeris ille gerenda ſubit? "
Seu cupidas regum mentes frenare ſtudebit,
Seu populum ad mores vult reuocare bonos:
Numina ſeu conficta dolo detrudet ab aris,
Impia Pontificum diminuetq; lucra:
Seu fictam Monachis perſonam detrahet, atque
Adſeret æterni dogmata vera Dei:

Quas feret ærumnas furijs agitantibus hoſtes,
Tollere qui è medio tale Catharma volent?
II. *Sic etiam doctor ſincerus victima fiet,*
Aſſiduéq; litat ſanguine & ipſe ſuo.
Ecce tenes cauſas, cur ritus dedicat idem,
Et pecudem, & myſten qui pia ſacra facit.
Iſta ſacerdotis Chriſti veriſsima imago eſt,
Muneris huic detur gloria prima ſacri.
I. *Hic ſine labe fuit, claráq; in luce parentem*
Et videt, & vero ſemper honore colit.
Huic Deus ipſe manum impoſuit, iuſsitq; docere
Arcana æterno dogmata promta ſinu.
II. *Hunc preſſère manus & iuſſa ſeuera parentis,*
Supplicio vt lueret crimina noſtra ſuo.
Hunc, licet inferior comitatur cætera turba,
Officij titulum cui dedit ipſe ſui.
Vult Euangelij cuſtodes ſemper haberi,
Militiæ ſocios ſemper & eſſe ſuæ.
Cùm mater vocat hos Eccleſia nomine Chriſti,
Mandat & impoſita munera ſacra manu.
Admoniti diſcant iſtius imagine ritus,
Hic ordo quantum polliceatur opus.
" *Vt pecus ante aras quondam ſacrata cadebat,*
" *Toſta Deo vt fierent viſcera ſuauis odor:*
" *Victima ſic etiam Chriſto fit quiſq; ſacerdos,*
" *Laudibus vt fragrent terra polusq; Dei.*
Talis ABEL tenerum purè mactauerat agnum,
Agnus at exitio mox datus ipſe fuit.

IN ESAIAM.



COnſilio patrias ESAIAS rexit habenas,
Et trepidis portus ciuibus ille fuit.
Depulit Aſſyrium Solymis à mœnibus hoſtem,
Victori ponens clara trophæa Deo.
Iamq́ senex centum vitæ confecerat annos,
Cùm ſerra ſciſſus victima & ipſe fuit.
Nemo poteſt memorare omnes; ſpectabimus omnes,
Cùm Deus induerit corpore quenq́ nouo.

IN IEREMIAM.

Ieremias vates ſquallenti carcere clauſus,
Cuncta viro ſancto perpetienda tulit.
MICH. BARTH.

IN IOH. BAPTISTAM, Heroicum doctorem noui Teſtamenti.



TAlia ſed quædam prodeſt exempla tenere,
Non Baptiſta igitur prætereundus erit.
Hic EVANGELIVM monſtrato tradidit agno,
Placatum nobis qui facit eſſe Deum.
Et Phariſæorum taxans deliria, RITVS
Fucoſos vetuit pro pietate ſequi.
Iuſtificamq; FIDEM docuit Iordanis ad vndam,
Et rupes gnatum iam ſonuere Dei.
Sordibus humanis LEX obſcurata iacebat,
Huic etiam lucem reddidit ille ſuam.
Congrua deſcripſit CIVILIS munera VITAE,
IVRAq; militibus, iudicibusq; dedit.

Atq;

Atq; fidem iuſſit lucere in rebus agendis,
Notior vt fieret gloria vera Dei.
CONIVGII ſancit legem, damnatáq; Thyeſten,
Vxorem fratris qui rapere auſus erat.
Quare Baptiſtam crudelis adultera perdit,
Qui moriens veluti victima cæſa iacet.

IN EVNDEM.



QVo non mortali fuerat de ſemine maior
Natus, præcurſor maxime CHRISTE tuus,
Amittit vitam, ſcorto ſaltante, Ioannes,
Innocuum ſæuo ceditur enſe caput.

CONR. ALBINVS.

Eſſe Tyrannorum bellaria, fata piorum; "
Baptiſtæ caput, hoc te docet in patina. "

IOACH. BEVST.

IN STEPHANVM.

Noticia Chriſti Stephanus, non ſanguine Tauri
Reſtitui vitæ dona perennis, ait.
Concio Pontifices ingrata accendit auaros,
In caput vt iacerent aſpera ſaxa, viri.

IN PAVLVM.



SEx Paulus, luſtris terraq́ʒ mariq́ʒ vagatur,
Ac Euangelium ſpargit vbique Dei.
Et negat extingui mentem diuinitus ortam,
Corporis è vinclis quando ſoluta fugit.
Proponensq́ʒ malis pœnas, & præmia iuſtis,
Arbitrio vero diſtribuenda Dei.
Inſticiam monſtrat, quam Chriſti propter honorem,
AEternus nobis dat pater atqʒ probat.
Interea pugnæ, pugnisq́ʒ pericula iuncta
Tàm longo exercent tempore, mille virûm.

Dum

Dum tandem ferienda dedit ſua colla Neroni,
Et iacuit tanquam vile cadauer humi.

DE HENRICO SVDPHANIENSI, MARTYRE, A DITHMARSIIS, IMpulſu Epiſcopi Bremenſis frigore & plagis miſerè enecto, tandemq́ combuſto Meldorffæ, Anno M.D.XXIIII. quo ipſo penè in loco, vbi Henrico per niues & glaciem raptato, crudeliter inſultârant, rebellionis & inſolentiæ diuturnæ pœnas dederunt, victi, cæſi, legitimoq́ Magiſtratui, ſublata ὀχλοκρατείᾳ, ſubiecti, ab inclyto Rege Daniæ, FRIDERICO II. eiuſq́ patruis Iohanne & Adolpho, Holſatiæ Ducibus, Anno M.D.LIX. quibus ex æquo hodie parent. Hiſtoria integra de Henrico Sudphanienſi, tum ab alijs, tum ab ipſo D. Luthero expoſita eſt, in VI. Tomo Germanicorum operum.

NOſtra etiam vidit quanquam infelicior ætas,
Qui vitæ Chriſtum præpoſuere, ſuæ.
Hîc vbi diuiſo Batauorum eſt inſula Rheno,
Suduaniam in ripa dure Sicamber habes.
Hæc tulit Henricum ciuem, quem vidimus ipſi,
Florentem ſtudijs, ingenijq́ bonis.
Hic toto Chriſti ſpirabat pectore amorem.
Cui ſtuduit vera reddere vota, fide.
Eximiaq́ ſuos mores pietate regebat,
Virtutum exemplum poſſet vt inde capi.
Quicquid id eſt, quod de natura Græcia ſcripſit,
Artibus excultus nôrat & ille, bonis.

Quas teneat metas dum totum perficit annum,
Aureus obliquo Phœbus in orbe means.
Longius à terra cùm ſummo tardus in axe
Voluitur, arentes cur premit æſtus agros?
Cur quoties imo velocior ibit in axe,
Et propior terræ frigida bruma venit.
Hæc ita contemplans autorem agnoſcere iuſſit,
Et pura grates dicere mente Deo.
Hæc, ait, oſtendunt nobis illuſtria ſigna,
Æterna mundum non ſine mente regi.
Altera ſed potior fuit illi cura tenere,
Extant quæ nobis tradita voce Dei.
Hoc Doctore iterum Bremenſi inclaruit vrbi,
Vnius Chriſti munere parta ſalus.
At quia diuinos ſtatuis detraxit honores,
Exitium Monachi qualibet arte ſtruunt,
His furijs mitra ornatus dedit arma Tyrannus,
Qui tandem oppreſſum non procul vrbe necat.
Heu cur tam ſubitò orbata eſt Eccleſia tali
Lumine, quo poſthac debuit illa frui?
O dilecte mihi ante alios Henrice, laboris
Nunc partem noſtri te tolerare velim,
Talia præconum quamuis ſunt fata piorum,
Membra iacent ſæuis & lacerata modis:
Non periêre tamen, ſed habent commercia læti
Cum Chriſto, viuis agminibusq́ue patrum.

CON-

CONCIO LEPORVM AD *leones, ſeu præmia rectè docentium.*



CVm, veluti lepores dare iura leonibus audent, "
Hi ſacra qui populum verba fidemq́ docent, "
Conanturq́ truces ſine vi frenare Tyrannos: "
Contemti pœnas pro pietate ferunt. "

Non pœna, ſed cauſa facit martyrem. "
Martyrium doctrina facit non pœna: reatum "
Demere non iudex, ſed bona cauſa poteſt.
I. S. F. M.

CRVOR SANCTORVM SEMEN ECCLESIAE.

Tertulliani dictum.

Hæc eſt ingenui natura arcana cruoris:
Impia quo ſancti martyres arma lauant:

Plenius hoc Chriſti felices irrigat hortos:
Quo velut effuſo largius imbre fluit.
Inde pijs animis Chriſtumq́; animoſa profeſſis,
Meſſe venit ſurgens vberiore ſeges.
›› *Dum mactare pios gaudet furioſa Tyrannis,*
›› *Sæua pios etiam, carnificina facit.*

DE MONARCHIIS, EX DANIELE.

Duæ ſunt in Daniele imagines Monarchiarum ſeu ſummorũ imperiorum: vna in viſione STATVÆ, quam vidit Rex Nabogdonoſor, ac oblitus eſt: in memoriam verò ipſi reuocauit & expoſuit Daniel: Altera in viſione quatuor BESTIARVM, quas vidit Daniel, expoſuit ei angelus.

Regi quidem ſecundum quietem oblata fuit ſpecies ſtatuæ magnæ, ſplendidæ & terribilis, cui
Caput eſſe AVREVM:
Pectus & brachia ARGENTEA:
Venter & Lumbi ÆNEI:
Tibiæ FERREÆ: Pedes verò & digiti pedum partim ferrei, partim lutei. Tandemq; prouolutus à monte lapis, totum ſtatuæ corpus obtriuit, ita vt ne puluis reliquus eſſet. Ipſe LAPIS in montem immenſæ molis, quæ terram vniuerſam compleret, excreuit. DAN. 2.

Poſteà



Poſteà etiam Daniel per ſomnium videre ſibi L
viſus fuit quatuor immanes Beſtias : primam V
LEÆNÆ ſimilem:alteram VRSO,tertiam PAR- P
DO : quartam Animali cuipiã terribili & ignoto. A

DAN. VII.



COLLATIO

IMAGINVM	CVM	MONARCHIIS.	A.M.
I. Caput aureum, item Leæna.	ſignificabat Monarchiam.	Chaldæorum & Aſſyriorum, quam incoabat Nimrodus, & deinceps Ninus.	1907
II. Pectus argenteum, vel Vrſus.		Medorum & Perſarum, quam incoauit Cyrus.	3406
III. Venter æneus, vel Pardus.		Græcorum, quam Alexand. Magnus.	3630
IIII. Tibiæ ferreæ, item animal truculentū.		Romanorū, quam incoauit Iulius Cęſar, vel Auguſtus.	3923

V. LAPIS abſciſſus ex monte (id eſt, populo Iudaico) ſine manu (id eſt, citra virum patrem, & præter humana conſilia) conterēs & complens omnia, eſt filius Dei, æternus Monarcha: cuius ſolius Regnum eſt æternum & infinitum: Ad quod reliqua regna omnia, collata, nō ſunt regna, ſed Pulueris inſtar erunt, volucri quem concita gyro, Aura leuis torquet celeri ludibria vento.

EPIGRAMMA.

„ *Aſpicis vt iaceant diſiecti membra COLOSSI,*
„ *Quem Rex Chaldaa vidit in arce ſenex.*
„ *Stat tantum pars ima pedum ferroq́; latoq́;*
„ *Mixta, ſtatim rimis corruitura ſuis.*

Dele-

Deleuere vrbes Turci, populosq́ potentes,
Nec gens imperium ſæuior vlla tenet.
Sunt igitur Turci magnæ pars ferrea plantæ,
Et ſtant infirmum cætera regna lutum.
Sed lapis absq́ manu celſo de monte reuulſus,
Mox aderit iudex Filius ipſe Dei.
Totius & plantæ delens ferrumq́ lutumq́,
Regna dabit populo non peritura ſuo.
Ergo Dei gnato ſe dedant pectora noſtra,
Ipſius & diſcant iura verenda ſequi.
O λόγε gnate Dei noſtris in mentibus adſis,
Et flatu accendas pectora noſtra tuo.


IOH. STIG.

Aſpice decidua vix ſtantem mole Gigantem: "
Quàm titubat fragili morbidus ille pede. "
Scilicet occiduo declinant omnia mundo: "
Actaq́ ad extremum fabula ſpectat opus. "

IN ALEXANDRVM MAGNVM.

Alexander Magnus aſſimilatur PARDO alato, propter ſpeciem & pulcritudinem, propter celeritatem & fortitudinem: denique propter appetentiam vini & luxum: quæ res ipſi exitio fuit.

ASpice Pellæum Pardum, quo pulcrior alter
Non fuit in pulcro quem vicerat orbe, nec vnquam
Res ſimiles geſſit quiſquam breuioribus annis.
Confectos ætate ſenes, belliq́ labore,



Conſilijs vicit cunctos in flore iuuentæ.
Ergo illi nocuêre nihil nec tela, nec hoſtes,
Sed fœda ebrietas & deſidioſa voluptas.
" *Qui ſapis: inuictaq́ decus ſeruare laboras*
" *Virtutis, ſemper fuge deſidis ocia vitæ,*
" *Ac memor eſto, DEVM, cùm ſit caſtiſſimus idem,*
" *Plectere pollutos & tandem extollere caſtos.*

THEBÆ BOEOTICAE.

" *Cadmeas olim fratrum diſcordia Thebas*
" *Exitio & regni dira cupido dedit.*

THEBAE AEGYPTIACAE.

" *At luxu perijt Thebe altera, proxima Nilo,*
" *Pernicies morum qui grauis eſſe ſolet.*

DE HE-



DE HELICE ET BVRA *ciuitatibus ſubmerſis, Ouid. Metamorph. XV.*

Si quæras Helicen & Buran Achaidas vrbes: "
Inuenies ſub aquis, & adhuc oſtendere nautæ "
Inclinata ſolent cum mœnibus oppida merſis. "

PRODIGIVM. STATVA VOMENS CRVOREM.

Sibaris vrbs Italiæ, opibus, voluptatibus & luxu diffluens, priuſquam bello à Crotoniatis deleretur, viſa in foro fuit Iunonis ſtatua cruorem vomere.

Cum Sibaris peritura fuit, ſunt omina viſa:
Præcedunt pœnas nuncia ſigna graues.

In medio conſpecta foro, bilem atq; cruorem
Terribili ſpecie lurida Iuno vomit.

DE PALVDIBVS ET SCATEBRIS IN SElandia Danorum, aqua inſtar cruoris rubente, ſtagnantibus, Anno M.D.LXX.

NICOL. HEMMINGIVS.

Sanguinis oppreſſi, fuſi, pœnas violati,
Iam iam impendentes indicat vnda rubens.

Ἐτεόστιχον.

Hei ſtagnante ſcatent, cerniſne cruore paludes
Dania? ſecuræ næ tibi pœna ſcatet.

P. H.

LIMITES GERMANIAE.

RHENVS ab occaſu, VIADRI ſed flumen ab ortu,
Clauſerunt fines Teutona terra, tuos.
Aëriæq; ALPES immotum limen ad Auſtrum,
BALTICVS ad BOREAM terminat Oceanus.
Ῥῆνος ἀπὸ ζεφύρου, βιάδροιο δὲ ῥεῖθρον ἀπ᾽ ἠοῦς,
γερμάνων κρατερῶν γαῖαν ὁρίζει ὅλην.
ἐσχατιαὶ δ᾽ ἄλπεις νιφόεσσαι πρὸς νότον εἰσιν,
ἐς βορέαν πύματος βαλτικὸς ὠκεανός.

DE CAROLI V. IMPERAtoris prudenti contatione in controuerſia religionis.

IPſe tamen Cæſar contatur tardus ad iram,
Nec ſubitò in ciues triſtia bella mouet.

Atq;



Atq; in difficili cauſa quod principe dignum eſt,
Iudicium ſapiens præcipitare cauet.

CAROLI IN VICTORIIS moderatio & clementia.

Hic vetat in patriæ graſſari viſcera ciues:
Hic aris parci mandat, legesq; vereri:
Hic prohibet ſuperûm Myſtas attingere ferro.

IN EVNDEM.

Vna gerit bellum, tribuit manus altera pacem. "

ἄδηλον.

Carole, mortales dubitant homo ſiſne, Deuſne:
Sunt tua ſceptra hominis: ſunt tua facta Dei.

ἐτεόστιχον.

Verſus continens numerum anni, quo captus eſt FRANCISCVS Rex Galliæ ad Ticinum.

Regia ſuccumbunt pugnacis lilia Galli.

GE. SAB.

DE FRIDERICO SAPIENTE, Duce Saxoniæ, Electore.

VRbs vetus eſt gentis Myſorum, nomine Torga,
Hic ſita vbi flauis labitur Albis aquis:
FRIDRICVS Sapiens princeps hac natus in vrbe eſt,
Promeruit patriæ qui pater eſſe ſuæ.
Conſilio qualis Neſtor fuit inter Achiuos:
Teutonicis Ducibus Neſtor & ipſe fuit.
Et cùm doctrinæ lucem renouare Lutheri
Cœpiſſet ſcriptis Filius ipſe Dei:
Iſtius pietas tuum & moderatio ſedem
Conceſſit ſtudijs, docte Luthere, tuis.

DE EODEM.

Bella alij ferro, ſed tu ratione gerebas,
Et ſine vi victi ſæpe dedêre manus.

DE IOHANNE FRIDERICO Conſtante: Duce Saxoniæ, Electore.

MAiorem huic peperit fidei conſtantia laudem,
Quàm poterat victrix dextera ferre Ducis.
„ *Vt Daniel captus, patriæ plus profuit exul,*
„ *Quàm ſi geſſiſſet bella cruenta domi.*
At nunc ornatus patriæ cœleſtis honore,
Colloquio fruitur, maxime Chriſte, tuo.

DE EODEM.

Erepti faſces & inanis gloria mundi,
Sed placuiſſe vni præfero poſſe Deo.

IN ICONA EIVSDEM.

Cernis in aduerſa facie tam vulnus honeſtum,
Quod Dux Saxoniæ captus & exul habet.
Hoc pius accepit recti ſibi conſcius heros,
Pro lege & patria, fortia bella gerens.

PAVL. EBER.

ALIVS.

Victus eras acie: fidei conſtantia tandem "
Victorem ante homines fecit, & ante Deum. "

IN IMAGINEM FORTISſimi herois MAVRICII, *Ducis Saxoniæ: Electoris.*

OMnia ſunt hominum tenui pendentia filo, "
Et ſubito caſu quæ valuêre ruunt. "
Vt perit in primo PELIDES flore iuuentæ;
PYRRHVS & hoc ipſo de genitore ſatus:
Ac ASIAE DOMITOR, Macedûm de ſtirpe creatus:
Et qui Burgundas CAROLVS auxit opes:
Sic iam MAVRICIVM nimium properantia fata
Saxoniæ terris eripuêre Ducem.
Qui Gallos Turcosq; feros virtute repreſſit,
Militiæ præſtans artibus atq; togæ.
Hic modò cum patriam iuſtis defenderet armis,
Fudiſſetq; hoſtes, auxiliante Deo:

Fraude

Fraude globus miſſus victorem vulnerat, inde
Poſt pugnam, vitæ non mora longa fuit.
Commendans animam ſed Chriſto, exordia vitæ
Hauſit cæleſtis, non dubitante fide.
Eſt fragilis natura hominum, ſed reddere vitæ
Gaudia vult Chriſtus non moritura pijs.

INDICATIO ANNI MORTIS MAVRICII, videlicet M. D. LIII.

Teutonicas furor vt turbabat ſæuiter oras,
Mauricius Princeps victor & ictus obit.

IOAC. CAMER.

Epitaphium *D. MARTINI LVTHERI.*

Πόλλ᾽ ἀγαθὰ ποιῶν, πόλλ᾽ εὐσεβεάτε διδάσκων
Λυτῆρος, τύμβῳ σῶμα δέδωκε ἑόν.
Qui Chriſtum docuit purè, & bona plurima fecit,
Lutheri hac vrna molliter oſſa cubant.

Epitaphium *IOANNIS ECCII SOPHIſtæ & paraſiti Pontificij.*

πολλὰ φαγὼν, καὶ πολλὰ πιὼν, καὶ πολλὰ κακ᾽ εἰπὼν:
ἐν τῷ ταφῷ Ἔκιος γαστέρ᾽ ἔθηκε ἑὼ.
Multa vorans, & multa bibens, mala plurima dicens
Eccius, hac poſuit putre cadauer humo.

MARTINO LVTHERO ANtichriſti domitori, trophæum.



ROma orbem domuit, Romam ſibi Papa ſubegit:
Viribus illa ſuis, fraudibus iſte ſuis.
Quanto iſto maior Lutherus, maior & illa:
Iſtum illamq́ vno qui domuit calamo?
I nunc, Alciden memorato Græcia mendax.
Lutheri ad calamum ferrea claua nihil.

THE. BEZA.

Lutherus decimum confregit ſtrage Leonem:
De claua noli quærere, penna fuit.

IOH. IOACH.

Ἐπιτάφιον obitus LVTHERI.

Fortis, at extremæ verax ætatis Helias,
Celſa pius cœli tecta Luthere, ſubis.

IOH. STIG.

PHILIPPO MELANCHTHO-ni ſingulari tum doctrinæ, tum humanitatis omnis Exemplo.



ET tu igitur tandem tumuli ſub mole repoſtus
Die ô Philippe nunc iaces:
Et quam inuidiſti viuus tibi tute quietem,
Cunctis quietem dum paras,
Ipſa tibi cura & ſancti peperêre labores:
Carum ô bonis cunctis caput.
At tu funde roſas, funde iſti lilia tellus,
Vt lilia inter & roſas,
Quo nil candidius fuit, & nil ſuauius vnquam,
Recubet Melanchthon molliter:
Et grauis vt huic ſis caueas, iuueniſve ſenexve,
Qui nemini vixit grauis.

THE. BEZA.

Epitaphium

Reuerendi & clariſsimi viri PHILIPPI MELANTHONIS.

VItam fortunasq́ ſuas ſtudiumq́ laboris,
Quiq́ operæ ſanctam conſilijq́ fidem
Impendit diuina tuis, Eccleſia, rebus.
Teq́ pius varia iuuit & auxit ope:
Hac in parte ſibi poſt mortem ſtructa Melanchthon
Communi in luctu, buſta Philippus habet.
Qui templi foribus magni vicina Lutheri
E regione ſolum quod tegit, oſſa videt.
Bretta hunc vitales natum produxit in oras,
Bretta Palatini limes amœnus agri.
Vnde propinqua petens adijt bonitate ſuorum
Diuerſo Aonidum templa ſacrata loco.
Ludus enim puerum accepit Phorcenidos vrbis,
Eytelpergiaci mox ſchola gymnaſii.
Doctrinæ hinc fecit iuuenem, alma Tubinga, Magiſtrum,
Eximium laudis geſſit vbi ille decus.
Inde triumphator Monachorum CAPNIO iuſſit
Albidos hunc ripam viſere Saxonici.
Tunc noua Dux Fridericus vbi collegia Muſis
Romani fundans enſifer imperij,
Vndiq́ conductis præſtanti laude parabat
Artis & ingenij reddere clara viris.
Hic & coniugium gentis ſortitus honeſtæ,
Factus & eſt ſexus mox vtriuſque pater.
Et ſocio ipſo annis viginti octoq́ Lutheri,
VVittenbergiacæ res fuit ampla Scholæ.

Quam ſeptem bis adhuc prouexit deinde gubernans,
Fluctiuagam vt vaſtum per mare nauta ratem.
Heu tempeſtates quas hic perpeſſus, & ad quam
Sæuos hæc ſcopulos acta carina fuit?
Quantum externi odij, quantum inuidiæq; ſuorum,
Ingratorum hominum quæ maledicta tulit?
Ipſe tamen quamuis reflantibus vndiq; ventis,
Directum eſt, retinens vera, ſecutus iter.
Fortia nec clamor latrantis pectora turbæ,
Nec vulgus ſtrepitu mouit inane ſuo:
„ *Summa petit liuor: nemo hunc ſuperare niſi ipſe*
Poſſet, ſi ſtudijs otia ſuppeterent.
Iſta ſub obliquo nôrunt quoq; ſole locati,
Quiq; ſub oppoſito forſitan axe iacent.
Scripta ſed illius memorabilia inter & acta
Plurima, quæ ſolidæ nomina laudis habent.
Vnum opus eximium eſt: Fidei confeßio ſanctæ
Ante tuos Cæſar Carole, lecta pedes.
Extat enim illius aßiduo hæc deſcripta labore
Vera reconcinnans dogmata ſparſa prius.
Languida quæ Chriſti iamdudum Eccleſia nitens,
Rurſum oculos audet tollere læta ſuos.
„ *Concurrant inimici omnes licet vndiq;, hic vnus*
„ *Confutare poteſt improba dicta, liber.*
Ac tua nunc terris floret bona fama Philippe,
Viuit & æternum ſpiritus ante Deum.
Corpus at exanimum tumulo hoc requieſcit humatum,
Condecorant gratæ quem monumenta ſcholæ:
Quod tandem expletis, ſenio curisq; grauatum
Sexaginta annis, exuis atq; tribus.

Sic morbo, vt paucis niſi, debilitante, diebus
Muneris officium feceris omne tui.
Atq; olim ætherias venies reuocatus in auras
Integer, & mortis liber abinde metu.
Sancte vir & ſalue, pater optime. Nos tua ſemper
Te ſoboles merita relligione colet.
Doctrinæ nobis veræ tu doctor & autor,
Hæc tua clara ætas munera laudis habet.
Salue iterum atq; iterum. Tua nos immota manebit
Semper apud memores gloria, fama, decus.

IOACH. CAMERARIVS
Papeberg. Am. S. S. F.

ALIVD.

HIC iacet Europæ decus & pia fama MELANTHON: „
Corpore qui paruus, maximus arte fuit. „
Cuius ob egregias virtutes, claraq́; ſcripta,
Et pietas, & pax hac regione ſtetit.
Bretta viri patria eſt, clarum virtute parentem
Ampla Palatini fouerat aula Ducis.
Sed puer in ludum miſſus Phorcenidos vrbis,
Indolis egregiæ prouida ſigna dedit.
Mox patris in patriam tendens, vt diſceret artes
Ingenuas, Nicri culta Licæa petit.
Et duo tranſegit cum luſtra & quatuor annos,
Nactus ibi primum cepit in arte gradum.
Hinc iuuenem fecit titulo gaudere Magiſtri
Aonij nutrix clara Tubinga chori.
Tunc noua fundabat conductis atria Muſis
Albidos ad flauas Dux Fridericus, aquas:

Inſignemq́ virum Capnionem ad cœpta vocabat,
Auguſtæ imperij conueniente Statu.
Capnio laude vehens cognati dona Philippi,
Hunc iubet Albiacæ munus obire Scholæ.
Hic tunc Argolico docuit ſermone iuuentam.
Barbaries illo pulſa docente fuit.
Et Sophiæ triſtes fontes, velut alter Eliſa
Farre dato, gratos vſibus eſſe dedit.
Nota viri virtus, nota eſt doctrina per orbem,
Proq́ pia exhauſtus relligione labor.
Hic fidei ſummam veræ, mandante LVTHERO
Obtulit Auguſta Cæſar in vrbe tibi.
Membraq́ doctrinæ, corpus digeſſit in vnum
Sparſa prius neruis quæ iacuere ſuis.
Ac hoſtes fidei ſcriptis & voce refutans,
Multa foris ſubijt, multa pericla domi.
Et quàm Romani latè patet orbita regni,
Impleuit meritis templa Scholasq́ ſuis.
Donec ab ardenti conſumtus viſcera febri,
In Chriſto placida morte ſolutus obit.
Et nunc ille quidem defunctus mole laborum,
Conſpectu fruitur, colloquioq́ Dei.
Sacrificis vbi iunctus auis, aſtante Luthero
Doctoris Chriſti pendet ab ore ſacro.
Fòrs & vota facit quo ſacra Eccleſia Chriſti
Vnanimi doceat cœlica iuſſa fide.
Mox tamen hæc ſurgent cœleſti rore rigata,
Quæ nunc oſſa ſolo marcida febre iacent:
Cùm velut herba virens, florebunt oſſa piorum
Et fidei capient præmia digna ſuæ.

At te

At te poſteritas colet ob tua dona Melanthon,
O vir ingenio non habiture parem.
IOH. IOACH. M.

ALIVD eiuſdem.

Maximus hic meritis, ſed paruus membra Philippus
Pone iacet tumulum, magne Luthere, tuum.
Cui pia relligio ſe totam debet & Artes,
Et pax & regni publica commoditas.
Teſtis erit vitæ, ſtudijq́ actiq́ laboris,
Quicquid Romano viuit in imperio.
Cumq́ odia à multis fuerit perpeſſus alumnis,
Nunc cœlo precium dulce laboris habet.
Oſſa tenet tumulus, ſed viuit fama: iacere
Tot dotes vno non potuêre loco.

ALIVD
IOHAN. STIGELII.

Qualis vbi amiſit largum vicinia fontem,
Luget in erepto publica damna bono.
Et gemitu arentes quærit ſcrutata per hortos,
Nec reperit dulcem, qua recreatur, aquam:
Talis & Aonidum ſequitur quæ caſtra Iuuentus,
Orba bonis luget, docte Philippe, tuis,
Et paria in reliquis neſcit reperire lacunis,
Ingenii liquit quas bona vena tui.
Hoc videt à tergo facibus lugubris & armis
Barbaries Muſis triſte minata iugum,
Dexter opem doctis niſi tu Deus, artibus adfers,
Barbaries ſtudijs auferet omne decus.

ALI-

ALIVD eiuſdem.

Fons latet hoc tumulo, quid quæris amice viator,
Fons dogmatum piorum & Eloquentiæ,
Si quis ab hoc riuuum proprios deduxit in hortos,
Non aureas huic præferat Pyramides.
Illius obſtructas doleo Germania venas,
Parem futura non habebunt ſæcula.

ALIVD
In imagines coniunctas LVTHERI
& PHILIPPI.

» *Diuiſæ his operæ, ſed mens fuit vnica: pauit*
» *Ore Lutherus oues, flore Melanthon apes.*
IOH. IOACH. M.

EXILIA ET MIGRATIONES MVSARVM.

OMnia vaſta facit ſæuis Bellona ruinis,
Præcipuè ſtudijs eſt inimica pijs.
Hoſpitium ſapiens dedit olim GRAECIA Muſis,
Nunc eſt Barbarico Græcia præda Duci.
ITALIAM petière fuga: ſed fraudibus illa
Pontificumq́; armis perdita tota iacet.
Hinc igitur dubijs fortunæ caſibus actæ
Intrârunt fines TEVTONIS ora tuos.
Hic habuere aliquam ſed paruo tempore ſedem,
Nam furit in noſtra Mars quoq; dirus humo.
Ergo per extremam Germani littoris oram,
Hoſpitium miſeræ ſupplice voce petunt.
PHIL. MEL.

HOSPI-

HOSPITIA ET HALCYONIA ECCLESIÆ CHRISTI IN REGNO DANIAE.

EX EPITAPHIO REVERENDI VIRI D. D. IOhannis Bugenhagij Pomerani, quem & iſto carmine Philippus mortuum, & luculenta oratione, vitæ ipſius curriculum exponente, decorauit: in qua & hæc eius de Bugenhagio eſt commemoratio honorifica:

VT olim nominabantur Euangeliſtæ, qui in pluribus locis docebant, & Eccleſias conſtituebant: talis fuit & ipſe (Bugenhagius) Euangeliſta, vocatus Lubecam, Brunſuigam, Hamburgam, in Pomeraniam, & in regnũ Danicum, incorruptam Eu-



angelii doctrinam ibi docuit, deleuit idola & errores Papiſticos: & Deo iuuante Eccleſias piè conſtituit, quæ quidem annos circiter triginta hactenus eandem Euangelii vocem pio conſenſu retinent.

nent. Et paulò antè: Cumq́; ad magnas opes, & Epiſcopi ſplendorem in Daniam, & in Pomeraniam, & quidem ab optimo REGE, & ab optimo Principe vocaretur: nunquam voluit hunc tenuem nidulum relinquere.

EPITAPHIVM.

Coniugis vt ſenio confecti corpus aquatum
Ipſa ſuis humeris Halcyo grata gerit:
Sic bene promeritum Doctorem Eccleſia curet,
Et leuet ætatis pondera dura ſeni.
Sic tua canities Doctor Pomerane, fidesq́;
Sincera eſt cunctis iam veneranda pÿs.
Qui procul externis ſparſiſti fidus in oris
Pura Euangelÿ ſemina voce tua.
Ac ceu Baptiſtes agnum monſtrare ſolebat.
AEterno Chriſtum de genitore ſatum:
Tu quoq; iuſtifica docuiſti agnoſcere Chriſtum.
AEterniq́; patris ſumere dona fide.
Fictiliumq́; alias formas tua linuga Deorum
Euertit, Papæ quas voluere coli.
Et velut in ſcopulis celſos locat Halcyo, nidos
Hiberni circum quos fremit vnda maris:
Sic medio in pelago, felix iam DANIA, nidos
Extruxit Chriſto te fabricante, pios.
Te Deus hos inter texit iuuitq́; labores,
Nunc vita functus viuis in arce poli.

Obijt VVitebergæ, Anno
M. D. LVIII.

PRO

PRO FRIDERICO REGE Daniæ, eius nominis ſecundo, VOTVM.

Diue parens patriæ, belloq́; togaq́; ſecunde,
Maiorum nulli, merito & pietate ſecunde:
Per te vt porrò habeat placidos Eccleſia nidos,
Terrarum extremo hoc ſaltem, Oceaniq́; receſſu:
Ipſe parens hominum tibi vitam & vota ſecundet.

P. H.

AD EVNDEM.

Quod Rex de Regum Friderice es ſanguine cretus,
Laus ea ſumma tua eſt, non tua ſola tamen:
Sunt etenim Reges alij, & de Regibus orti,
Imperio, cenſu, ſtemmate, ſorte pares:
Sed tu Eccleſiolæ CHRISTI nutritor & hoſpes,
Quod pius & Rex es, ſolus es hoc hodie.

A. S. Velleius.

SOPHIÆ REGINÆ Daniæ.

Qui non, te ſocia, ſuaue huic ſit viuere, cuius
Pectus habet σοφίαν, *lectus habet* Σοφίαν.
Pignora queîs lectum replent, ſapientia pectus,
Sancta pace vigent relligio & regio.
Quàm bene conſpirant Pax & Sapientia, fulcris
His regnum, his ſteterit regia ſalua domus.

P. H.

CHRISTIANO IIII.
ELECTO REGI DANIAE, D. FRID. *Filio.*

Expectate puer voto patriæ atq; parentum,
Quem pax & Σοφίη pignus amoris habent:
Paci & τῇ Σοφίῃ, Chriſtoq́; adoleſce, parentum
Spem, diuiq́; implens omine nomen Aui.

P. H.

FRIDERICO & SOPHIÆ,
VOTVM.

Queis tam rara beat, cunasq́; & corda ſupellex,
Hæc Chriſtus, illas Chriſtianulus puer:
Præbete, ô, cunas Chriſto, ſisq́; ipſius ô Rex
Nutricius, Regina, nutrix cœtui.

P. H.

DIDA-

DIDACTICA.

DE ECCLESIA.

ECCLESIA MATER ET PATRIA filiorum Dei. Ex Pſalmo 83.



NOn ſecus ac timidæ nidis gaudere volucres,
Quos ſibi quæq; ſua condidit arte, ſolent:
In quibus & poſſunt hoſtes contemnere tutæ,
Et pullos dulci mater amore fouet:
Sic nobis templum nidus gratiſſimus eſſe,
Et certum debet perfugium eſſe piis.
Felix hac ſemper quicunq; habitabit in arce,
Audiat vt laudes & canat ipſe Dei.
Vera piis patria eſt Eccleſia ſola putanda,
Quæ patriæ debes officia, iſta petit.

Crudelis quicunq; ipſam lacerare parabit,
Impiaq; aduerſus ceperit arma Deum.

SVMMVM IN TERRIS DECVS ET BEA- *titudo, ciuem eſſe veræ Eccleſiæ,*

συμπολίτην τῶν ἁγίων, καὶ οἰκεῖον τοῦ θεοῦ.

Pſal. 27. Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt habitem in domo Domini, omnib. diebus vitæ meæ: vt videam voluptatem Domini, & viſitem templum eius.

Pſal. 84. Melior eſt dies vna in atrijs tuis ſuper millia. Elegi abiectus eſſe in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis impiorum.

Pſal. 122. Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus.



Has ego delicias ardentibus expeto votis,
In templo ſemper degere poſſe Dei.

Et quam-

Et quamuis ibi erunt mihi multa adeunda pericla,
(Namq; odiis vrget mundus vbiq; pios)
Attamen anteferam regnis opibusq; malorum,
Huius militiæ ſigna decusq; piæ.

VNVM EST NECESSARIVM.

Μάρθα μὲν ἐν πολλοῖς κάμνῃ, ἑνὸς ἐςι δ᾽ ἀνάγκη.

DE MARTHA ET MARIA SORORIBUS, epigramma, tanquam verborum Chriſti paraphraſis. Luc. 10.

Quid differta inſtas adeò, Martha hoſpita, curis
Tam grauibus leuiter, tam leuibus grauiter?
Reſpira à nugis, exemplo edocta ſororis,
Quæ reſidet noſtros diſcipula ante pedes.
Crede, hæc elegit potiores ſedula partes,
Quas neq; vis, neq; mors eripere ipſa poteſt.
Namq; meo pendens dicentis ab ore, recepit
Planè ipſum in cordis me penetrale ſui.
Hæc ſapit, & domini ſcit quæ ſint grata palato:
Has amo lauticias, hanc volo mundiciem.
Lucida ceu radiat gemma, auri in maſſula: ita hoſpes
Quorum ego corde habito, vita ibi luxq; habitat.
Felix, hoſpitij quem tali dignor honore:
Scriniolo in cordis me qui habet, omnia habet.
Diſce hoc, Martha, bonum ſolum eſſe, vnumq; neceſſe:
Cætera ſunt nugæ, damna, πάρεργα, nihil.

PE. HEG.

ECCLE-

ECCLESIA NON REGITVR HVmanis conſilijs.

Viribus humanis non eſt Eccleſia tuta,
Regum præſidijs orphana mœſta caret.

ECCLESIA IN TERRIS CVM CHRISTO ſuo exulat.

Exul erat Chriſtus, comites nos exulis huius
Eſſe decet: cuius nos quoq; cura ſumus.

CHRISTVS REDVCTOR EXVLIS eſt Eccleſiæ.

Chriſte tuo exulibus patriam tu ſanguine reddis,
Nulla venit nobis, te niſi dante, ſalus.

ITEM,

Miſſus in exilium eſt cœli poſſeſſor & orbis,
Exulibus patriam reddat vt ille ſuam.

IOAC. BEVST.

ETIAM INTER CONFVSIONES MVLTIplices generis humani & ruinas Imperiorum, durabit Eccleſia filij Dei.

Vt tamen in medijs laceratur naufragus vndis,
Qui ſupereſt, tabulas colligit ipſe ſibi:
Sic aliquem eripiet cœtum de fluctibus iſtis,
AEterno Chriſtus de Genitore ſatus.

Pſal. 46. Non timebimus, etiamſi turbabitur terra, & ruant montes in medium maris.

Omnis

OMnis vt extremam trahat eluxata ruinam "
Machina, quæ vaſti ſuſtinet orbis opus: "
Sæuiat inſano commotus turbine pontus, "
Et ſcopulos tumidi ſorbeat vnda freti: "
Sancta Dei æternùm tamen vrbs immota manebit, "
Stabit & ad fontes ſemper amœna ſuos. "

IOH. STIG.

ALIVD.

Interea bellis lacerantur regna, ſuasq́; "
In pœnas fato mundus vbiq; ruit. "
Ac velut aggeſtis Titanas montibus auſos
Ad ſublimem Arcton ſcandere fama refert:
Conatosq́; aſtris extinctis, omnia rurſus
In vetus & cæcum vertere mixta chaos:
Turcica ſic rabies paſſim ſeſe impia iactat,
Aduerſus Gnatum bella mouere Dei.
Deniq; cùm varijs quatiatur motibus orbis,
Exercent Chriſti multa pericla gregem.
Sed tamen hos inter terrores magna verendi
Dextra pios cœtus protegit ipſa Dei.

PRAESEPE CHRISTI.

Vt placuit præſepe DEO: non alta columnis
Regia, non auro clara micante domus:
Quæ ſua naſcenti præbens cunabula Chriſto,
Exciperet ſummo gaudia plena bono:
Sic & adhuc aliquod ſemper præſepe tuetur:
Præbeat hoſpitij quod tibi Chriſte locum.

IOH. STIG.

MIRIFICVS AMOR DEI erga Eccleſiam.

Ex dulciſſimis Dei verbis Eſaiæ: Nunquido bliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui? & ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui. Ecce in manibus meis deſcripſi te, muri tui coram oculis meis ſemper.



» NVm poterit mulier curam deponere nati?
» Vt ſobolem mater negligat ipſa ſuam.
» Pone quòd eueniat, genitricis vt exuat omnem
» Affectum mulier, ſæuior illa feris:
» Ipſe tui nunquam tamen obliuiſcar in æuum,
» Inq́ mea, tua ſunt nomina ſcripta, manu.

PAVL. EBERVS.

ALI-

ALITER.

Ore Sion querulo ſic eſt formoſa loquuta,
Cùm quærente Deum mœſta pauore foret:
Ergo reliquiſti me tot mala dura ferentem,
Et memor afflictæ non es, vt antè, Deus?
Huic Deus: An poterit curam deponere prolis, „
Vlla parens partum non miſerata ſuum? „
Si tam dura tamen, tamq́; implacabilis vlla eſt, „
Vt poſſit ſobolis non meminiſſe ſuæ. „
Ipſe tui nunquam mutabo oblitus amorem, „
Tu dilecta mihi filia ſemper eris. „
Ecce manu deſcripta mea, tua mœnia ſeruo,
Vt firma incolumem te ſtatione tegam.
Ecce oculis te geſto meis: mihi cuncta videnti,
Proxima ceu nunc es, proxima ſemper eris.

IOH. STIG.

Antè ruant cœli, Deus & ſeſe oderit ipſe, „
Quàm ſibi fidentem deſeruiſſe velit. „

IOH. STIG.

FILIVS DEI SOL IVSTICIÆ, & viuificator Eccleſiæ.

Spargit vt in toto lucem ſol vnicus orbe, „
Viuificoq́; vnus cuncta calore fouet: „
Vnicus æterni ſic natus mente parentis, „
Accendit radijs pectora noſtra ſuis. „

ΛΟΓΟΣ *FILIVS DEI SEMper aſſuit ſingulari modo Patribus.*



» *COlloquia at Patres quando dulciſsima miſcent,*
» *Sæpe vident medios inter adeſſe* Λόγον.

ITEM.

Quàm benè viuebant antiquo tempore Patres,
Quorum compoſitus menſis conuiuia duxit
Filius ipſe Dei noſtræ ſub imagine carnis:
Hoſpes vt in Mambre, menſis conſedit Abrahæ.

IOH. IOACH.

Nemo nouit Patrem, niſi Filius, & cui Filius volet reuelare. Matth.11.

» *Nemo Patrem nouit niſi filius, & quibus, huius*
» *Semina noticiæ filius ipſe dedit.*

Philip-

Philippe, qui videt me, videt Patrem.
Iohan 14.

Nemo Deum vidit Patrem, ne quære Philippe, "
Per Chriſtum, Patrem cernere poſſe datur. "

IOAC. BEVST.

DE FIDE IVSTIFICANTE.

Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam. Gen. 15.



VICTOR MASSILIENSIS vetus poëta.

CRedidit, & nudæ fidei conſenſio ſola "
Plenam ad iuſtitiæ & meriti reputata coronam eſt. "

PHIL. MEL.

Iuſtitia hæc demum eſt, vni confidere Chriſto. "

EOB. HES.

Ex regula Pauli Rom. 14. Quicquid non eſt ex fide, peccatum eſt.

» *Abſq; fide quæcunq; facis, facis omnia fruſtrà.*

IOH. STIG.

» *Sola Deo acceptos nos facit eſſe fides.*

Fide & ſpe tanquam alis ſubuehuntur in cœlum preces.

» *Vt tua pertingat penetretq́; precatio cælum,*
» *Ardenti fiat ſpeq́; fideq́; frequens.*

EFFICAX CONSOLATIO ex verbo Dei.

Niſi Lex tua meditatio mea fuiſſet, tum periiſſem in afflictione mea. Pſal. 119.



PEnè ego crudeli modò eram hoſti præda futurus,
Vitaq́; in æternam noctem abitura fuit.

Ni tua

Ni tua vox animam fugientem ſola teneret,
Quæ te adfirmat opem ferre ſolere pijs.
Hæc me tela inter fiducia texit & enſes,
Addidit & vires hæc medicina nouas.

PATIENTIA.

Diſce ſilere Deo, caſtoq́ obedire timore: "
Nec iuſſas dubia mente remitte preces.

IOH. STIG.

Fortis in infirmis Deus eſt, perq́ infima vincit: "
Præmia qui tribuit tarda, ſed ampla pijs. "

GEOR. FAB.

DE MVNERE DOCENtium Eccleſiam.

TRES PARTES OFFICII Prophetarum:

Repurgare doctrinam Legis; & de vero cultu Dei.

Adminiſtrare aliqua politica negotia & conſilia.

Præcipuè verò illuſtrare promiſſionem de Aduentu & beneficijs Meſſiæ.

O vtinam vatum præconia dicere poſſem,
Accendit quorum pectora pura Deus.
Doctrinæ vt lucem renouarent atque docerent; I.
Quis ſummo patri ſit tribuendus honor.

Hi po-



II. Hi populum in rebus dubijs rexêre, leuantes
Conſilio gentis multa pericla ſuæ.
III Venturum æterni natum cecinêre parentis,
Crimina vt ablueret noſtra cruore ſuo.
Hunc propter recipi docuerunt vota precesq́;,
Hoc duce iuſſerunt Numen adire patris.
Cenſuraq́; ſua frenârunt ſæpè Tyrannos,
Et populi mores continuêre ſui.

OFFICIA SACERDOtum Leuiticorum:

DOCERE,
ORARE,
SACRIFICARE.



ἱρεὺς τὴν διδαχὴν εὐαγγελίοιο φυλάσσων “
ἱλάσκῃ θυσίῃ ταῖσδε ἄραισι θεόν. «

DE SICLO.

Is valebat Atticorum *τετράδραχμον*: noſtrum verò dimidiatum Ioachimicum. **Ein halben Thaler/ oder ein Loth.**

IVſta Sacerdotum deſignat munera Siclus,
Cuius in Ebræis vrbibus vſus erat,
In quo floreſcens inſculpta eſt virga Aaronis, I.
Quæ monet, vt DOCEANT dogmata pura Dei.
Parte calix alia eſt impletus thure Sabæo, II.
Hic offerre PRECES, vt noua thura, iubet.

Rurſus de SICLO, ad Georgium principem Anhaltinum.

IVſta Sacerdotum demonſtrat munera Siclus,
Cuius in Ebræis vrbibus vſus erat.

I. *Vt ſint* DOCTRINAE *cuſtodes virga Aharonis.*
Vtq́ regant mores cum pietate, monet.
II. *Significantq́* PRECES *calicis fragrantia thura,*
Præcipuum munus ſunt pia vota Deo.

Filius æterno genitori hos præſtat honores,
Emmanuel caſta vigine natus homo.
Hic eſt doctrinæ cuſtos, quam ſparſit in orbe;
Hic Aharonei florida virga chori eſt:
Hîc & pro nobis offert gemitusq́ precesq́,
Fiat vt offenſi mitior ira patris.

Adiungit ſibi nos ſocios; tamen iſte Sacerdos,
Agminis & partem nos facit eſſe ſui.
Cuſtodes igitur fidos nos eſſe neceſſe eſt
Doctrinæ, gnatus quam dedit ipſe Dei.
Huius & addamus votis ſuſpiria noſtra,
Quæ ſimul ad patrem perferet ipſe ſuum.

CVR ANGELOS VOLVIT DEVS PRIMO omnium Paſtoribus annunciare Euangelium de nato Saluatore. Lucæ II.

Quare ad paſtores primùm vox nuncia venit,
Angelicus ſumma quam tulit arce chorus?
Nempe vt præcipuè paſtores carminis huius
Gentibus autores eſſe ducesq́ velint:
Vt ſummo patri veri reddantur honores,
Et toto fiat notus in orbe Deus.
Ac latè in mundo ſpargantur munera Chriſti,
Quæ ſunt placati pignora certa patris.
Et curent vt ſit pacata Eccleſia Chriſti,
Concordiq́ regant ore fideq́ gregem.

Sit pro-

Sit procul à Chriſti diſcordia ſæua miniſtris,
Namq; Deus poterit, non niſi pace, coli.
Nulla lues ouibus tantùm, non vlla venena, "
Quantùm paſtorum diſsidia ipſa nocent. "

DOCTORES LINGVAM SVAM DEO COMmodant, ſuntq́; tantùm organa vocis diuinæ, & veluti fiſtulæ voce aliena inflatæ.

Quanquam autem ad dextram cœleſti in ſede parentis "
Ipſe dat hæc ſemper maxima dona pijs: "
Doctores tamen adiungit ſociosq́; laborum, "
Organa quos vocis præcipit eſſe ſuæ. "

Ex Paulo, 1. Cor. 15.

Non labor in domino veſter inanis erit. "

PRIMITIÆ ET DECIMÆ contribuendæ in vſus miniſtrorum Eccleſiæ & pauperum.



Partem aliquam tamen & promas in pauperis vſus,
Certa Sacerdotum pars quoq; meſſis erit.

DETESTATIO SOPHISTI-
cæ peruerſitatis.

,, *Non aliam ſenſit grauiorem Eccleſia peſtem,*
,, *Nec res vlla magis pernicioſa fuit:*
,, *Quàm ſtructæ inſidiæ verbis confuſaq; dicta,*
,, *Turpiter & fuco dogmata mixta nouo.*

PERIODVS VITÆ HVmanæ, labor & dolor.

Dies peregrinationis meæ pauci & mali. Gen. 47.



QVàm breue, quàm nihil eſt, quodcunq; hîc degitur æui,
In miſerijs, erroribus, ſuſpirijs.
Nugamur pueri: labor excipit omnis adultos:
Cura viros: morbi ſenem & deliria.

Tota (vbi contigeris metam) quid deniq; vita eſt,
Quid niſi fuga, exilium & peregrinatio?
Spes vanæ: & magno magnas conamine nugas,
Dum malè, nihil, vel aliud hîc agimus, ſequi?
Vtq; dies multos, & multos vixeris annos:
Annum aut diem vixiſſe vix videbere.
Hoc neq; NVNC reliquum eſt: tam ſunt obnoxia noſtra hæc
Obliuioni & vanitatibus, omnia.
Interea, affligat quod mentem & corpus, abunde eſt,
(Meremur iſtud) quod iuuet; rarum & parum eſt.
Toto ergò ad patriæ limen lumenq́; beatæ,
Laſſus malis ſtupensq́;, anhelo pectore:
Corporis vt ſimul & peccati immunis, ouantem
Reddam animulam, ah, tuis IEHOVA amplexibus.

PET. HEGEL.

Quàm nihil niſi vanitas, omnis homo ſecurus. Pſal. 39.

Omnis homo ſimilis languenti graminis herbæ, "
Vna dies naſci quam videt, vna mori. "

IOH. STIG.

Vita fuga eſt: abeuntq́; dies, & carpitur ætas, "
Vt temerè linguæ verba loquacis eunt. "
Cumq́; ſatur vita eſt, & aniles attigit annos; "
Vel MALE, vel, TEMERE, vel, NIHIL egit homo. "

IOH. STIG.

IDEM ex Græco.

Nudus in hanc terram matris ſum lapſus ab aluo:
Quo terra excedam tempore nudus ero.
Quid grauibus curis, ſtudijs quid inanibus angor?
Dum loquor, à tergo mors quoq; nuda venit.

VERA CONSOLATIO IN obitu piorum hominum.



„ NOn hominum caſu voluuntur tempora vitæ,
„ Arbiter eſt certò qui regit iſta Deus.
„ Nec mentes hominum deleri morte putandum eſt,
„ Quas adflat membris cœlitùs ipſe Deus.
„ Ergò Deo vitam repetenti cedere iuſtum eſt,
„ Speſq́; nouæ vitæ nunc tua damna leuet.
„ O quàm læta, dies hoc quæ me carcere ſoluet,
„ Vt poſsim in clara luce videre Deum.

MORS NIHIL EST IVſtis, victæ niſi mortis imago.

Vt nunc



VT nunc triſte mori eſt, ſic dulce reſurgere quondam:
Vita mihi Chriſtus, mors mihi dulce lucrum.
In terris labor eſt, requies ſed ſuauis in urna,
In ſummo venient gaudia ſumma die.

IOH. IOACH.

ΕΥ̓ΘΑΝΑΣΊΑ.

Nunquam Chriſte tuos bone deſeris: idq́; tuum omne eſt,
Hunc bene qui vixit, non malè poſſe mori.
Seu citò, ſeu tardè eſt ad te, ô Saluator eundum,
Vna via eſt: Nanq; es tu via, vita tuis.

PET. HEGEL.

Quid cupidi vitæ ſeros inhiamus in annos?
Eſt vitæ virtus maxima poſſe mori.

IOH. STIG.

MORS

MORS CHRISTI EST portus & vita piorum.



MOrs tua, mors Chriſti, fraus terræ, gloria cæli,
Et dolor inferni, ſunt meditanda tibi.
» Viue diu, ſed viue Deo: nam viuere mundo
» Mortis opus, viua eſt viuere vita Deo.
» Quicquid erit tandem, mea ſpes eſt vnica Chriſtus,
» Huic viuo, huic moriar, cætera curo nihil.
» Quid valet hic mundus? quid gloria? quid ve triumphus?
» Poſt miſerum funus, puluis & vmbra ſumus.

IOH. STIG.

IDEM.

» Ah quantum eſt didiciſſe mori: Sic tranſige vitam
» O homo, vt in Chriſti viuere morte queas.

Viue

P. MELISSVS.

Viue memor lethi, quiſquis cæleſtia curas: "
Sic lethi victor gaudia læta feres. "

TESSERA MILITIAE
Chriſtianæ.

VIVO equidem ærumnas inter lapſusq́ frequentes,
Viuo tamen: vita hæc quantula, quàm miſera eſt?
VINCAM, etiam moriens, Serpentis ſpicula victi:
Chriſte tuo aſperſus ſanguine victor ero.
VIVAM, & totus humo nouus efflorebo: mihiq́
Tunc erit æternùm viuere vita Deo.

PET. HEGEL.

POLITICA,
ET QVÆ AD MAGISTRAtum legesq́ attinent.



PSALMI CXXVII. METAPHRASIS, Niſi Dominus ædificauerit domum.

Felix ſapientia Dei donum.

QVòd ſtruis, & cœlo certas educere molem,
Fruſtrà erit, hoc condat nî Deus autor, opus.
Quòd vigilas, vrbemq́ue tuo vis marte tueri,
Falleris, excubias nî Deus intus agat.
Et quanquam gratos ſomnos abruperis antè,
Quàm reuehit clarum, Lucifer ipſe diem.
Longa dies quamuis triſti conſumta labore eſt,
Ac operæ partem nox quoque ſera trahat:
Nil tamen aſsiduæ proſunt curæq́ue laborq́ue,
Si non aſpirent numina ſumma tibi.
Seruat alitq́ue pios rerum pater optimus, inde
Commoda ſunt vitæ cuncta petenda tibi.
„ *Non domus ipſa ſibi, non vrbs creat ipſa patronos,*
„ *Felices ciues datq́ue facitq́ue Deus.*



Impe-

Impetus eſt qualis volucri, rapidæq́ſagittæ, “
Figitur in iuſſo quæ procul acta loco: “
Sic quocunq; rapit diuinus ſpiritus illos, “
Virtuti cogunt cedere cuncta ſuæ. “
Non fortuna viros, non virtus deſerit vnquam,
Nec ruitura ſuæ mœnia ſunt patriæ.

FINIS SOCIETATIS humanæ.

Pòſt vbi ſenſerunt ſe ſemina ducere cælo,
Atq; aliquem, mundum qui regat, eſſe Deum.
Tunc primùm amplexi, iuncti conſortia cœtus,
Tegmina vicinis compoſuêre caſis.
Vtq́; alios alij de relligione docerent: “
Contiguas, pietas iuſſit habere, domos. “
Hinc vrbes ſtructæ, quarum eſt ante omnia munus, “
Aſſeruiſſe Deo, quam iubet eſſe, fidem. “

IOH. STIG.

NON NOBIS SOLVM NATI ſumus, ſed ortus noſtri partem patria, partem parentes vendicant, partem amici. M. C.

Nemo ſuos propriè ſibi tantùm vendicet ortus, “
Quilibet in publicum naſcitur officium. “
Vir bonus eſt commune bonum: ceu fonte perenni, “
Illius è ſtudio commoda mille fluunt. “

IOH. STIG.



VIR BONVS PVBLI-
cum bonum.

» *Vir bonus eſt hortus patriæ qui largus in omnes,*
» *Quæ bona ſuppeditet publica, ſemper habet.*
IOH. STIG.

IDEM.

» *Et commune bonum eſt, & res eſt publica princeps:*
» *Et patriæ hunc, meritis, conuenit eſſe patrem.*

DEVS MVTAT TEMPORA ET AETA-
tes, transfert regna atque conſtituit.
DAN. II.

Dat vires adimitq́; Deus, regniq́; coronam
Diuidit, & transfert: alios ad ſidera tollit,
Illos mergit humi deiectos culmine regni.
IOH. IOACH.

In ima-



In imaginem

IVSTINIANI IMPE-
RATORIS.

Dextra tenet GLADIVM, ſeruat manus altera LIBRAM,
Signa decent Reges ſcilicet, illa bonos:
Illa quidem intentat ſceleratis ciuibus arma,
Et terret ſtricto dextra mucrone malos:
Expendit iuſto prius hæc examine cauſas,
Quàm, nudata ſinat colla ferire rei.

IOH. STIG.

Principis eſt virtus maxima, NOSSE DEVM: “
Principis eſt virtus proxima, NOSSE SVOS. “

THOMAS MORVS.

Princeps pius nunquam carebit liberis,
Totius eſt regni pater.
Princeps abundat ergo feliciſsimus
Tot liberis, quot ciuibus.

IDEM.

» *Totum eſt vnus homo regnum, idq́ cohæret amore:*
» *Rex caput eſt, populus cætera membra facit.*
Rex quot habet ciues (dolet ergo perdere quenquam)
Tot numerat partes corporis ipſe ſui.
Exponit populus ſeſe pro Rege, putatq́
Quilibet hunc proprij corporis eſſe caput.

BELLEROPHON ACCIPIT A PALLAde aureum frenum regendo Pegaſo.

Ex auro frenos dat Pallas Bellerophonti,
Seruet vt in bellis cum ratione modum.

SVSCIPIENDA BELLA, VT in pace ſine iniuria viuatur.

HECTOR apud Homerum iliad. 15. adhortatur Troianos, vt pro patria dimicent.



Propa-

PRO patria, magnum decus eſt profundere vitam:
Nam reliqui ciues noſtra virtute teguntur,
Et ſaluæ intereà matres, natiq́; manebunt,
Qui ſunt ætatis venturæ ſemina, & vrbis.
Templa manent legesq́; bonæ, pietasq́; pudorq́;,
Et tunc quiſq; ſuis rebus, fundisq́; fruetur.

EXHORTATIO AD FORTITVDInem, ex veteri poemate TYRTÆI.

In prima pugnantem acie, cecidiſſe decorum eſt,
Seruantem patriæ mœnia cara ſuæ.
Nam miſerum eſt, patriâ amiſſâ, laribusq́; vagari
Mendicum, & timida voce rogare cibos.
Cum natisq́; errare ſuis & coniuge mœſta,
Et cum matre pia, cumq́; parente ſene.
Curat nemo vagos, & lædere nemo veretur,
Non exul curæ ducitur eſſe Deo.
Intrepidi pugnate viri & profundite vitam,
Quam patriæ debet reddere quiſq; ſuæ.
Ergò tuo conſiſte loco pede firmus vtroq;,
Compreſſos dentes & labra morſa tenens. &c.

Βατραχομυομαχία.

Bella pernicioſiſsima ſæpe de cauſa ſuſcipiuntur leuiſsima.

Mus breuis, & ſaliens in gurgite Rana paluſtri,
Dum nulla cauſa prælia ſtulta cient:
Fulmineo pugnas Iouis ira fragore diremit,
Et tandem fugiens agmen vtrunq; perit.

» *Sic modo dira ſerunt ex bellis bella Tyranni,*
» *Nec res, ſed cæcos armat vtrinq; furor.*
Peſtiferiq; magis Thebana Sphinge Sophiſtæ,
Verba venenato friuola felle linunt.
» *Aſpicit hæc vindex oculis Deus omnia iuſtis,*
» *Nec graue cùm ſparget fulmen, inermis erit.*
Gnate Dei bonitate tua mala tanta leuato,
Et ſerues cœtus Chriſte, regasq; pios.

Publica vniuerſorum damna, fiunt damna ſingulorum priuata.

EX SOLONE.



» οὕτως δημόσιον κακὸν ἔρχεται οἴκαδ᾽ ἑκάστῳ.

» *Sic partem fert quiſq; ſuam, cùm publica clades*
» *Incidit, & prohibet ianua nulla malum.*
» *Non latebræ quenquam fugientem abſcondere poſſunt,*
» *In thalamos penetrant publica damna tuos.*

Scili-

Scilicet in vulgus manant exem-
pla regentum.

ὅταν πρῶτα κύβους βάλλῃ ποτὲ μάργος ὁ ἄββας,
παίζειν οἴονται οἱ μοναχοὶ νόμιμον.

Fortè cubos primùm poſuit cùm futilis Abbas:
Tunc ſeſe Monachi ludere iure putant.

LEX.



Lex diuina tibi vitæ ſit regula ſemper, "
Sitq́; tibi potior, quàm tua vita, Deus. "

ALIVD.

Diuino præcepta, puer, ſi prodita ab ore,
Et facies caſto pectore iuſſa Dei:
Ipſe pater vitæ curſum moderabitur omnem,
Nec fortuna tibi ſæua nocere poteſt.

LEGES.

Leges, libertas & pax ſunt optima dona. "

Πειθαρχία & reuerentia Legum.

» *Eſt virtus leges & morum vincla vereri,*
» *Si tamen & legum regula Chriſtus erit.*

Leges ſunt vincula pacis.

Deniq; vita hominum tranquilla & honeſta manebit,
Seruandi leges dum pia cura manet.

EX SOPHOCLE.

ὅπου δ' ὑβρίζειν, δρᾶν θ' ἃ βούλεται πάρα:
ταύτην νόμιζε τὴν πόλιν χρόνῳ ποτὲ
ἐξ οὐρίων δραμοῦσαν εἰς βυθὸν πεσεῖν.

» *Vbi petulanter facere quodlibet, licet,*
» *Legumq́; vox & ira Vindicis Dei*
» *Ridentur, ac inane nomen eſt pudor:*
» *Magno ruet ventis ſecundis impetu*
» *Mox in profundum merſa tota ciuitas.*

LEX TALIONIS.

Ariſtoteles citat lib. 5. Ethicorum ex veteri poeta Rhadamanto.

» εἴκε πάθοι τά κ' ἔρεξε, δίκη ἰθεῖα γένοιτο.
» *Iuſta malis hæc admiſſo pro crimine pœna eſt:*
» *Si quæ fecerunt, eadem patiantur & ipſi.*

VEL,

» *Si patitur quæ quis fecit, iuſtiſsima pœna eſt.*

QVOD NON CAPIT CHRISTVS, rapit fiſcus.

Exprimit humentes, quas iam madefecerat antè,
Spongiolas cupidi Principis arcta manus.

Preuehit ad ſummum fures, quos deinde coërcet,
Vertat vt in fiſcum, quæ malè parta, ſuum.
ANDR. ALCIAT.

IN VITAM AVLICAM.

IO. POSTHIVS AD
P. Meliſſum.



QVI trahere infelix ſpecioſo in carcere vitam,
Cunctaq́ dura pati vult ſponte: moretur in aula.
Qui ſeruis ſeruire, moram qui ferre recuſat,
Seq́ irridendum præbere: recedat ab aula,
Spemq́ metumq́ inter dubius qui viuere non vult,
Omnia qui neſcit ſimulare: recedat ab aula. "
Qui verè eſſe pius, qui ſobrius eſſe laborat, "
Quiq́ valere diu: nocituram deſerat aulam. "
Aula locus, fortuna ſuos vbi lubrica luſus
Ludit, & exaltat nunc hos, nunc deijcit illos.

Aula mare eſt, quo non aliud furioſius vllum,
Non, quo naufragium, contingat crebrius vllum.
" *Aula fera eſt capitum multorum bellua, ſeruos*
Peſſundans plerumq; ſuos: ô terq; quaterq;
Infelix, fatua quicunq; ſeneſcit in aula.
At contrà felix ô terq;, Meliſſe, quaterq;
Ambiguam ſapiens Iuuenis qui liqueris aulam.

Innocentia optimum aduerſus inuidentiam remedium.

Sic decet inuidiam vulgi ſuperare furentis,
" *Nulla ſibi rectè conſcius arma timet.*
" *Paſcere liuor iners odio, ſaturare furore,*
" *Mors tua, recta Deum facta colentis erunt.*

IOH. STIG.

OECONOMICA

ΚΑῚ ΓΑΜΙΚᾺ.

CONCORDIA.

Metaphraſis Pſal. 133. Ecce quam bonum.

" *EXiguis addit vires concordia rebus,*
" *Et cumulat modicas atq; tuetur opes.*
Vtq; ſenis celſo manantia vertice Aharonis
Infirmos artus balſama larga rigant.
Siue ſatis vt vita redit, dum Sirius agros
Torret, ſi gelido rore madeſcit humus:
" *Sic vbi ſunt æquo ſociatæ fœdere mentes,*
" *Fidaq; communis pectora iunxit amor:*

Virtu-



Virtutem Deus aſpirat, placidoq́ fauore "
Prouehit, & vitæ cuncta pericla regit. "

Idem Pſalmus venuſtiſſimè à Georgio Buchanano redditus.

Nil caritate mutua fratrum, nihil
Iucundius Concordia.
Non aura ſuauis balſami, quum funditur
Ahronis in ſacrum caput.
Et imbre læto proluens barbam & ſinus,
Limbum pererrat aureum:
Non ros, tenella gemmulis argenteis
Pingens Sionis gramina.
Aut verna dulci inebrians vligine
Hermonis intonſi iuga.
Fraterna quam pax incolit domum, iuuat
Dominus benigna ad dextera,

Et opibus auget: filiorum & filios
Multis propagat ſæculis.

CASTITAS.

Vult inuocari mentibus caſtis Deus.



„ Πνεῦμα ἐὼν θεὸς ἀΐδιος καθαρόν τε καὶ ἁγνόν,
„ τῶν ἁγνῶν δέχεται ἵερα μοῦνα φρενῶν.
Ἁγνείαν καὶ ἔταξε νόμοις σεμνοῖσι γάμοιο,
τιμήσεις θεὸν οὖν ἐν γάμῳ εὐσεβέως.
„ *Caſta Deus mens eſt: caſta vult mente vocari,*
„ *Et caſtas iußit pondus habere preces.*

GEOR. FAB.

Sed praui nullis vinclis retinentur amores:
„ *Nullus amor, quibus eſt non Deus vnus amor.*

DE CASTITATE,
ex Naumachio.

Haud aliquid melius vitam commendat & ornat,

Virgi-

Virgineam caſto quàm ferre in corpore mentem,
Et gaudere animi ſenſu meditantis honeſtum.

IOH. STIG.

DE AMORE.

Nil amor eſt aliud, ſi neſcis, quàm ſine vita "
Viuere, nil aliud quàm ſine morte mori. "

P. MELISSVS.

NIC. HEMMING.

Ores, caſta legas, ieiunes, otia vites, "
Si ſeruare voles corpora caſta Deo. "

DE PVDICITIA.

PHIL. MELAN.

In primo tomo Scriptorum publicè propoſitorum VVitebergæ.

Marcellinus cùm laudat Iuliani Imperatoris pudicitiam, ſcribit eum crebrò recitaſſe verſiculos Bachylidæ Lyrici, qui ait: Vt in picto corpore ſummum decus eſt facies pulcrè expreſſa: ita in hominum moribus pulcerrimum decus eſſe, pudicitiam. Ac profecto ita eſt, quamuis pulcra ſtatua, ſine aptis lineamẽtis faciei, truncus eſt deformis: ita in homine ſine pudicitia, etiamſi quæ ſunt alia bona, tamen ſunt deformia & ſpreta, quia naturæ mediocres oderunt & abominantur impudicitiam. Verſiculi ſunt ſic redditi:

VT cùm de ſtatua facies formoſa remota eſt, "
Non decus in reliquo corpore truncus habet: "

Sic re-



» *Sic reliqui mores ſpreti & ſine honore iacebunt,*
» *Ni ſint ornati laude pudicitiæ.*

MEDIOCRITAS ET SANcta αὐταρκεία.

» *Felix cui dederit mediocria commoda vitæ,*
» *Noticiamq́; ſui, Filius ipſe Dei.*

IOH. STIG. AD VICT. STRIG.

» *Nos iuuet eſſe Deo, quod iubet eſſe Deus.*

G. BVCHANANVS Pſal. 37.

» *Præſtat ſupellex ſobria,*
» *Recteq́; parta recula,*
» *Quàm rapta per vim diuitum*
» *Faſtidioſa copia.*

Vitam quæ faciunt beatiorem.

» οἱ νοσποτεῖν μετρίως, κόρης τ' ἀπολαύσ' ἐραλεινῆς,
» ἥδιστος βίοτος σὺν φόβῳ ἐστὶ θεοῦ.

Dulce

Dulce merum, dulcis Coniunx, mens conſcia recti: ‘‘
Quid tribus his iunctis, dulcius eſſe poteſt? ‘‘

IOH. STIG.

Noſſe Deum, & ſocia traducere coniuge vitam,
Et ſobolem caſti dona videre thori:
Maius & vberius decus eſt, quam parta tenere
Regna, decus ſummo non habitura die.

DE CONIVGIO.

Myſterium hoc magnum eſt,

EPHES. V.

Quinq; προσκείμενα Coniugij, ad Chriſtum & Eccleſiam transferenda, vt ſunt: Amor, Fides, Societas bonorum & ærumnarum, Generatio & Defenſio.



PEctus vt in ſponſo flammarum incendia ſentit,
Qui vero ſponſæ flagrat amore ſuæ:

Naturæ ſociam vero ſic diligit igne,
Filius æterno de Genitore ſatus.
Induit humano quam fœdere, quo ſibi noſtrum
Fraterno pariter iunxit amore, genus.
Iura thori Deus Exemplum cùm fœderis huius
Eſſe velit, caſtè præcipit ipſa coli.

E GRAECO:

Hæc eſt os ex oſsibus meis.

Aſpexit iuuenem formoſa puella ſuperbum,
Ipſius in vultu lumina fixa tenens.
Hic ait, in terram potius tu deijce ocellos,
Non oculos habeat caſta puella vagos.
Imò, ait hæc, magis in terra tu limina figas,
Ex terra primum nam tua facta caro eſt.
Noſtri principium fuit ortus coſta virilis:
Hanc quæro, & iungi me velit illa ſibi.

IOH. STIG.

„ *Non oculis tantùm ducenda, ſed auribus vxor:*
„ *Iudicio famæ quæ placet, illa placet.*

IDEM.

Quid moror? humanæ non eſt opis: abdita res eſt
„ *Coniugij ratio, fato connubia fiunt.*

IOAC. BEVST.

„ *Sponſe voca Chriſtum, non eſt ſine munere Chriſtus:*
„ *Ille merum tardè, dat tamen ille merum.*

ΣΤΟΡΓΗ.

Coniugis in labris quoties dulciſsima figis
Baſia, purpureis filioliq́ genis:

Iſtius

Iſtius ipſe Deus transfudit ſemina amoris,
Non temerè in ſenſus caſtaq́ corda patrum.
Ergo preces etiam probat inter ſuauia mixta,
Coniugibusq́ pijs has iubet eſſe ratas.

Gratulatio ad coniuges.

Coniugium veſtrum ſit felix numine Chriſti,
Inq́ Deo ſit mens vna, ſit vnus amor.

IOH. STIG.

Vnum ſuauiolum, quod caſtus figit honeſtæ
Conſorti coniux, cenſorem pluris habetur
Ante Deum, templis quàm cultus mille figuræ
Propoſitæ, humanæ quas fingit opimò mentis.

LIA, IACOBI VXOR EXEMplum patientis fœminæ.

Lippa Lia & fœcunda, ſuæ eſt inuiſa ſorori
Officium nihilo ſed minus ipſa facit.

MICH. BARTH.

IVDITHA VIDVA, mulier Heroica.

Seruatrix patriæ ex Holofernis cæde triumphat,
Concedens nulli laude Iuditha viro.

MICH. B.

IN MILITIAM PARTVRIENtium, ſeu Collatio Prœliantium & parientium.

Stando mori pulcrum eſt, ipſoq́ occumbere in actu:
Siue ita miles obit, ſiue ita mater obit.

In mortem ille ruit lucri ſpe illectus: ob ipſam
Pignoris illa animam, pignerat vltrò animam.
Is, licet armatus, vitam malè prodigit: illa
Inuicta in viua, mortua, prole manet.
Corpus at hic coruis: animam, proh, deuouet Orco:
Cura Deo, matrum, eſt corporis atq; animæ.
Iſte alios ſecum perdit: ſed mater alumnam
In laudes ſobolem datq; dicatq; Dei.
Si grauida emoritur fragili cum palmite vitis:
Palmes erit Chriſti in corpore, vterq; ſui.
P. H. R.

Singulas etiam familias, ſingulas oportere eſſe Eccleſiolas.

,, *Templa Deus nidos, nidos vult eſſe laresq;*
,, *Cum caſta natos coniuge cuiq; ſuos.*

ITEM.

,, *Vis Eccleſiolam, quamlibet eſſe domum.*

IOH. STIG.

,, *Coniugium humanæ eſt diuina Academia vitæ.*

G. NAZAN.

,, φίλτρῳ μὲν συνέδησε ΦΥΣΙΣ τοκέας τε γονοῦς τε.

PHILIP.

,, φίλτρῳ μὲν συνέδησε ΘΕΟΣ τοκέας τε γονοῦς τε.

In crapulam & ebrietatem.

At terimus fruges, ceu bucula deuorat herbas:
Et bibimus, largas taurus vt haurit aquas,
Et quaſi vita homini ſit deuitanda, ſtudemus
Ipſam animam ſumtis illaqueare cibis.

IOH. STIG.

Olim

ALIVD.

Olim hominum generi rigidus vitam abſtulit enſis,
Nunc breuior cyathis mortis aperta via eſt.
Nunc miſeri vitris vitreum deperdimus æuum,
Si ſimilis fragili vita putanda vitro.

NIC. RVDING.

ALIVD.

Teuto ferox olim ferro pugnauit & armis:
Vitrea nunc bibulo prælia Marte gerit.

PAVL. MELISSVS.

IN LVXVM ET PROfuſiones.

Mutauit veteres ignaua ſuperbia mores,
Atq; animos ſegnes prodiga vita facit.
Fœmina iam totum pendentem è pectore cenſum,
Atq; omnem dotem fronte puella gerit.

IOH. STIG.

IN ROSAS PICTAS, quæ ſupra menſas in cœnaculis vulgò extendi affigique ſolent.

Caſta & amica loqui, tetricas deponere curas,
Abſentum famæ parcere, amare bonos.
Ferre malos, ſed non efferre tacenda, monet te
Purpurea hæc patulo vertice, amice, Roſa.

PET. HEGEL.

PARAENETICA, *ET DE STVDIIS RECTE formandis commonefactiones.*

INVITATIO PVERORVM ad Scholas.

Carmen quo ſolent Pueruli ad ſtudium literarum in Scholam reuocari, die Gregorij, circa æquinoctium vernum.

" *VOS ad ſe pueri primis inuitat ab annis,*
" *Atq; ſua Chriſtus voce venire iubet.*
Præmiaq́; oſtendit vobis venientibus ampla,
Sic vos ô pueri curat amatq́; Deus.
Vos igitur læti properate occurrere Chriſto,
Prima ſit hæc Chriſtum noſcere cura ducem.
Sed tamen vt Dominum poſsis agnoſcere Chriſtum,
Ingenuas artes diſcito parue puer.
Hoc illi gratum officium eſt, hoc gaudet honore;
Infantum fieri notior ore cupit.
Quare nobiſcum ſtudium ad commune venite,
Ad Chriſtum monſtrat nam Schola noſtra viam.

Sinite puerulos venire ad me, & ne prohibeatis eos: talium enim eſt regnum Dei. Mat. 19. Mar. 10. Luc. 18.

Ipſe iubes ad te pueros, ô Chriſte, venire,
Atq; hos perpetua morte perire negas.

Ex pſalmo 19.

" *Et Deus infantum celebrari gaudet ab ore.*

Seu:

Seu:

Vult fieri infantum notior ore Deus.

EPIGRAMMA IOHANNIS STIGELII dulciſsimum.

Suauiter infantes dum tollit ad oſcula Chriſtus,
Mitis & amplexu pignora parua fouet.
In genus humanum diuinum oſtendit amorem,
Qui Patris è prono corde volentis abit.
Tu quoq; mortalis, cui contigit eſſe parentem,
Dum figis ſoboli baſia blanda tuæ.
Crede Deo, cuius maior te amplectitur ardor,
Quàm tuus in ſobolem maximus eſſe poteſt.
Et caue ne ſtolidè tantum auerſeris amorem,
Quem qui ferre poteſt, omnia ſolus habet.

Ingenium ſine doctrina eſſe ſpeculum impolitum: *ἀπόφθεγμα* Alberti Dureri.

Vt nulla è ſpeculis rudibus reſplendet imago, "
Ni ſint artificis ritè polita manu: "
Ingenij ſic vſus erit non vllus acuti, "
Doctrinæ ſi non erudiatur ope. "

RECTA INSTITVTIO REQVIRIT ASSIduitatem diſcendi & imitandi.

In ludum quidam natum ducitq; iubetq;,
Vt vitæ melius diſcere tentet iter.
Et primis pater ingenium puerile ſub annis,
Et rude dum pectus recta docere parat:
Qua puero fore ducat opus re, fortè magiſtrum
Quærit: at ille, opus eſt MENTE, ait, atq; STYLO. "

TRES

TRES CAVSAE IGNORANTIAE.

„ *Sunt quos ingenium LEVE, ſunt quos blanda VOLVPTAS,*
„ *Sunt & quos faciunt corda SVPERBA, rudes.*
AND. ALC.

CORN. GALLVS.

„ *Quod NATVRA negat, reddere CVRA poteſt.*
At,
„ *Quod cultura negat, reddere nemo poteſt.*

Impetus Poeticos, ſicut alios motus Heroicos, ſingulare Dei donum eſſe.

„ *Humanas ſuperans vires Heroica virtus,*
„ *Tales qui motus dat, monet eſſe Deum.*
Sic etiam vbertas fundentis carmina venæ,
Eſſe Deum oſtendit, motus & ille Dei eſt.
Ergo agnoſce Deum, & iuſto venereris honore,
Cùm docti vatis ſcripta ſonora legis.

POETAE LEGENDI, ET ASSIDVA *imitatione exprimendi.*

Cura ſit à teneris, vatum cognoſcere ſcripta,
Eloquij fontes hos ſciat eſſe puer.
Horum pectoribus motus Deus indidit acres,
Sublimemq́ dedit Muſa canora ſonum.
Verùm non ſatis eſt legiſſe poëmata tantùm,
Accedat ſtudijs altera cura tuis:
Vt doctis digitis exempla ediſcere certes,
Cogere & in numeros verba ſoluta nouos,
Hic labor ingenij vires acuitq́ fouetq́,
Hinc venit eloqij copia, forma, nitor.

Hoc

Hoc ſi langueſcet ſtudium, ſi ignara iuuentus,
Non perferre volet tædia longa ſtyli
Hei mihi quæ clades reliquas iterum obruet artes?
Barbaries tenebras inuehet atra nouas.

Artium bonarum inter ſe, veluti herbarum in medicinis, ſocietas & mixtio.

Nam velut arcanis ſociatæ viribus herbæ,
Pharmaca ceu iuncto fœdere mixta ferunt:
Sic ſtudiјs promtæ quaſi conſpirantibus artes,
Humanis gaudent conſuluiſſe bonis.

IOH. STIG.

Studia nonnunquam remittenda, intermittenda nunquam.

Tempeſtiua iuuant operoſas ocia Muſas.

AVSONIVS.

Sunt etiam Muſis ſua ludicra mixta Camœnis, «
Et ceſſare licet: grato SCHOLA nomine dicta eſt, «
Iuſta laboriferis tribuantur vt otia Muſis.

ELOGIVM TERENTII.

Comica debetur meritò tibi palma Terenti,
Tanta etiam paruis gratia rebus ineſt.

IN P. OVID. NASONEM.

Naſo dabis veniam, talem te miror amoq́;:
Ingenium nugis proſtituiſſe queror.


IOH. STIG.

DIALECTICA MAGNO ADIVMENTO
eſt doctrinæ Eccleſiæ explicandæ.

In tenui quamuis noſter labor eſſe feretur,
Quòd pueris Logices prima elementa damus.

Plus tamen his operis Eccleſia ſacra iuuatur,
Quàm ſi de Pario marmore templa ſtruas.

ELOGIVM DIALECTICES.
IOH. STIG.



FAma fidem fecit, Minoidos atria Cretæ
Irremeabilibus plena fuiſſe dolis.
Sæpè quis ambages intrans fraudesq́; viarum,
Nequaquam fallax inde relegit iter.
Solus at AEgides comitantia fila ſecutus,
Dicitur ambiguas iſſe, rediſſe vias.
" *Sic niſi te reliquas Dialectica ducat in artes,*
" *Semper in ambiguum te trahet error, iter.*
Hæc oculis hominum nebulas abſtergit, & illos
Seiuncta à falſis cernere vera docet.
Hæc caput Aonias cupienti efferre per artes
In dubijs præbet fila ſequenda vijs.

Dum

Dum potes & licitum eſt, hæc arripe fila iuuentus,
Præbeat ad Muſas hæc Ariadna viam.
Quod ſi vere tuæ neglexeris indolis illam,
Nulla tibi Autumni tempore meßis erit.

PRÆMEDITATE LOQVENDVM.

Aduerſus extemporales Rhetores, ſeu ſubitam dicendi confidentiam.

Hermogenes voluit laudari, dicere multa
Quòd ſubitò poſſet non meditata prius.
Atticus orator ſed contrà turpe putabat
Dicere apud ciues non meditata prius.
Sculpta, inquit, potius recitarem, non modò ſcripta; “
Cauſa moram ferret ſi peragenda reo. “
Ac vtinam ſapiens placeat contatio multis, “
Fundant ad Gnatum votaq́; caſta Dei.

ARITHMETICA.

Omnia ſunt numeri, numeroſis motibus omnis “
Hic igitur mundus, mundus & alter homo. “

HISTORIÆ EVOLVENDÆ.

VT nôris quando ſeſe patefecerit ipſe,
Spectari iußit ſecula cuncta Deus.

HISTORIAE SVPPEDITANT EXEMpla Iuſtitiæ diuinæ.

ὡς κατὰ μὲν πέπρωτ᾽ ἀδίκοις, τιμαὶ δὲ δικαίοις,
ἣ δὲ βιοῖο γραφὴ δείξεται ἱστορία. *ideſt:*




Quòd Deus iniuſtos punit, iuſtos quòd honore
Afficit: hoc nobis indicat hiſtoria.

A magnis etiam fortiſsimisq; viris lectionem poetarum & hiſtoriarum ſempèr frequentatam fuiſſe.

Terribiles inter lituos ſonitusq́ tubarum,
Rex Macedûm legit carmen, Homere, tuum:
Feſſaq́ nocturna cùm membra quiete leuaret,
Dicitur hoc ſtratis ſuppoſuiſſe ſuis.
Scipio, qui victa meruit Carthagine nomen,
Fregit & Auſonia Punica ſceptra manu:
Sedulus in medio belli diſcrimine legit,
Quod Xenophon Cyri nomine ſcripſit, opus.

G. SAB.

Ante omnia ſtudioſè diſcenda & meditanda doctrina cœleſtis.



Οὐ θυσίαις ὁ θεὸς μᾶλλον δὴ τέρπεται ἄλλαις, ‟
ἢ διδαχῆς μελέτῃ εἰλικρινοῦς λόγου. ‟

Vult adſertores laudum nos eſſe ſuarum:
Idq́ magis poſcit, quàm noua thura, Deus.

H. EOB. H.

Quin dociles adhibe dictis præſentibus aures: ‟
Gratior eſt ipſi victima nulla Deo. ‟

DE DIVINA PAVLI Apoſtoli eloquentia.

Οὐκ ἐὲ κε δαιδαλέος τὸν χριστὸν γράψαι ἀπελλῆς,
ἔνθεος ὡς παῦλος τῷ δ᾽ ἐχάραξε λόγῳ.

Non ſic Dedaleus Chriſtum pinxiſſet Apelles,
Vt ſacer hunc Paulus exprimit ore pio.



Aliud in Paulum.

Auguror, & video (longæui cedite patres)
Neſcio quid maius priſca Damaſcus alit.
Qui nunc Tarſiaco prodis de ſanguine miles,
„ *Saulus es, exiguo tempore Paulus eris.*

IOH. STIG.

PSALMORVM LECTIO FREQVENTANDA.

AMphion cantu ſcopulos traxiſſe putatur,
Et potuiſſe Orpheus flectere voce feras:
Attamen hos longè Dauidis carmina vincunt,
„ *Quæ mentem è media ducere morte ſolent.*

ALIVD



ALIVD IN PSALMOS.

Ad tria genera Pſalmos redigit: ita vt
Alij ſint Didaſcalici & Prophetici:
Alij Precatorij, conſolatorij & Euchariſtici:
Alij Legales & Hiſtorici.

Saxa ferunt vatem traxiſſe Amphiona cantu,
Vt ſtrueret Thebis mœnia prima ſuis:
Maius opus fieri Dauidis carmine conſtat,
Qui trahit ad ſummum pectora noſtra Deum.
Nunc ſeruatoris narrat præconia Chriſti, I.
Quem canit æterno de genitore ſatum:
Nunc aptè gemitus & verba precantia tradit, II.
Ad ſummum patrem quæ tua vota vehant:
Nunc iuſtas vitæ leges, pœnasq́, malorum, III
Et promiſſa canit præmia magna pijs.
Hæc igitur Cythara eſt ad tempora quælibet apta,
In manibusq́, tibi ſemper habenda, pijs.

In di-

In dictum Philippi Melanth.

LECTIO & INVOCATIO ſunt vberrimi commentarij in Pſalmos.

IOH. STIG.

» *Nulla ſacros melius docet enarratio pſalmos,*
» *Quàm repetens ſolidas LECTIO crebra, preces.*
» *Sæpe lege, & PRECIBVS feruentibus erige pectus:*
» *Vt tibi quæ neſcis ſuggerat ipſe Deus.*
» *Quod nequeunt longis dare commentaria verbis,*
» *Hoc tibi cum precibus lectio iuncta dabit.*

DE BIBLIIS A LVTHERO IN GERmanicam linguam translatis.

In linguam noſtram ſtuduit transfundere fontes,
Et tantum lucis lectio nulla tenet.

IN LOCOS THEOLOGICOS PHILIPPI MELANTHONIS, præconium eiuſdem Stigelij.



PInguis vt aërij, de vertice lapſa Sionis,
Irrigat humentes copia roris, agros:
Altus vt egrediens ſtagnantia littora, Nilus
Fœtificat largo rura propinqua ſinu:
Sic hoc ſparſa libro, veræ doctrina ſalutis,
AEternis implet pectora ſancta, bonis.
Explicet inuicti quod ſic oracula Chriſti, "
Nullum hoc in terris ſanctius extat, opus. "

IN CONFESSIONEM FIDEI CHRISTIAnæ, exhibitam Carolo V. Auguſtę, Anno 1530.

Concurrant inimici omnes licet vndiq;, hic vnus "
Confutare poteſt improba dicta, liber. "
IOACH. CAMER.

DE ASTRIS.

Aſtra teſtantur Deum eſſe.



Sidera dum ſpectas claro labentia cælo,
Et ſignas oculis lumina nota tuis.
Verè aliquam mentem rebus quæ cuncta gubernat,
Et quæ noſtra vidit facta praeeſſe ſcias.

EOB. AD SCHONERVM.

» *Eſſe Deum quicunque negat, mox ſidera ſpectet:*
» *Sidera qui ſpectat, iuret is eſſe Deum.*

PHIL. MEL.

ἄστρα μὲν αὐτὰ πέλῃ θείας σημεῖα προνοίας,
μᾶλλον δ᾽ ἡ ἄστρων θεσπεσίη διδαχή.
Aſtra quidem ſunt ipſa Dei certiſsima ſigna,
At doctrina Deum certius eſſe docet.

IN HYPOTHESES ASTRONOMICAS.

Non ferri caſu pulcerrima corpora mundi,
Verùm mente regi conſilioque Dei:
Teſtatur Phœbus, qui certis legibus annum
Conficit, & notis itque reditque vijs.
Et gratis vicibus lucem noctemque reducit,
Et tempeſtiuè nata calore fouet.
Temperat & radios, quos excipit humida Luna
Diſtinguens annum menſibus ipſa ſuis.
Denique cuncta ſuis labuntur ſidera metis,
Naturam proprijs officijsque iuuant.
Hæc cum ſuſpiciens oculis ac mente notabis,
Autorem agnoſcas & venerere Deum.
Hic nobis hauſtum proprio de pectore mentem
Inſeruit, iuſti noticiamque dedit.

Ergo

Ergo etiam ſcelerum pœnas hic exigit vltor,
Virtutumq́ue dabit præmia grata pijs.

IOH. STIG.

Ipſe regit motus quos conditor addidit aſtris,
Nec caſu ætherios ſic ſinit ire choros.
Nec vires adimit, quoties errantia cælo
Aſtra quaſi in ſynodum iuncta coire ſinit.
Sed precibus motus armatos temperat ignes,
Irati precibus frangitur ira Dei. “
Ergo hæc ſigna decet reuereri vt ſigna futuri,
Adducunt tacitè quod ſimul ipſa mali.
Sed ſapere hic nimium, ſupraq́ue oſtenſa vagari “
Indicia, hoc vitij eſt non rationis opus. “
Vana ſuperſtitio mores corrumpit & artes, “
Hanc caueas curæ qui cupis eſſe Deo. “
Qui regit, ipſe poteſt mutare & vertere fatum, “
Tu modo qui metuis triſtia, funde preces. “

Aſtra inclinant, non neceſſitatem inducunt.

Quamlibet aſtra regunt homines: regit attamen aſtra “
Noſter, qui non vult Stoicus eſſe, Deus. “

ITEM.

Aſtra regunt homines, ſed Deus aſtra regit. “

C. CRVCIGER.


Fata mouere Deus, tollere fata poteſt. “

Item:

Non plus fata tamen, quàm pia vota valent. “

DE COMETIS.

EX GRAECO.



„ οὐδείς κομήτης ὅστις οὐ κακὸν φέρει.

„ *Nulla ætas vidit flagrantem impunè Cometam,*
Non leue venturum nunciat ille malum.

IOH. STIG.

Iam toties nigra tectum ferrugine Solem
Vidimus offenſi ſigna dediſſe Dei.
Vidimus & rutilo flammantes crine Cometas
Arguere è cœlo funera, bella, famem.

ΣΩΦΡΩΝΙΣΤΙΚΑ, ſeu

ETHICA PRAECEPTA, SEV REGVLÆ VITÆ, ad honeſtatem & decus inſtruentes.

ORA ET LABORA. Subditus eſto Deo, & ora eum. Pſal. 37.

SVbditus eſto Deo, mandato munere fungens, "
Et ſpera in miſeris & pete, rebus opem. "

EX DICTO IOH. BAPTISTAE.

Non poteſt ſibi homo ſumere quicquam, niſi datum ſit ei à Deo. Ioh. 3.



NVllius eſt felix conatus & vtilis vnquam, "
Conſilium ſi non detq́ iuuetq́ Deus. "

Tunc iuuat ille autem, cùm mens ſibi conſcia recti,
Mandati officij munera iuſta facit.
Et ſimul auxilium præſenti à numine Chriſti
Poſcit, & expectat non dubitante fide.
Sic procedet opus fauſtum populisq́; tibiq́;,
Nauis & aura tuæ vela ſecunda vehet.



» *Inuictamq́; Dei dextram vis nulla repellet,*
» *Omnia cogentur cedere prona, Deo.*
» *Ipſa etiam, quamuis Adamanti inciſa feruntur,*
» *Cùm petimus, cedunt fata ſeuera Deo.*
» *Nec Deus eſt Numen Parcarum carcere clauſum,*
» *Quale putabatur Stoicus eſſe Deus.*
» *Ipſe poteſt Solis currus inhibere volantes.*
» *Ipſe velut ſcopulos flumina ſtare iubet.*

ITEM:

» *Solares retinet currus & flumina ſiſtit*
» *Verus & hic liber cunctipotensq́; Deus.*

FINIS

FINIS HOMINIS, ADEOQVE TOTIVS humanæ ſocietatis eſt agnitio & celebratio Dei.

Magnum opus eſt ad quod nos Mens æterna creauit,
Vt noſtro ſtudio notior eſſe queat.
Ac in nos hauſtam proprio de pectore mentem
Fudit, & effigiem iuſsit habere ſui.

IOH. STIG.

Vtq́ alios alij de religione docerent,
Contiguas pietas iuſsit habere domos.
Hinc vrbes ſtructæ, quarum eſt ante omnia munus
Aſſeruiſſe DEO, quam iubet eſſe fidem.

MAGNA HOMINIS DIGNITAS, QVOD ſit imago & templum Dei.

Singula conſultò certos diſtinxit ad vſus,
Cùm templum vellet nos Deus eſſe ſibi.
Diuina in CEREBRO radios ſapientia ſpargit,
Cùm verbo mentes luce ſuaq́ regit.
At COR Iuſticiæ domus eſt, ſentitq́ dolores,
Cùm punit ſontes vindicis ira Dei.
Adflatuq́ Dei purgatum gaudia ſentit,
Et vita fruitur non pereunte Dei.
Formatum ad tantos CORPVS cùm videris vſus,
Factorem agnoſcas & venerere Deum.
Ipſius & templum non labes vlla prophanet,
Pollutum abijciat ne grauis ira Dei.

PRINCIPIIS OBSTA.

Vitare peccatum, eſt vitare occaſionem peccati.

Flammæ ſuborientium cupiditatum protinus reſtinguendæ pijs precibus & honeſtis laboribus.

Parua initia lapſuum, magnas ruinas trahunt.



» *VIncere difficile eſt tentant cùm dulcia ſenſus,*
» *Ni fugias pœna eſt ſæua luenda tibi:*
» *Sed fuge teq́ regi poſcas à numine Chriſti,*
» *Offendent quæ non poſſe nocere putes.*

Huc Ouidianum iſtud ſimile.

Vt penè extinctum cinerem ſi ſulphure tangas,
Viuet & ex minimo maximus ignis erit:
Sic, niſi vitâris quicquid reuocabit amorem,
Flamma redardeſcit quæ modò nulla fuit.

OCIA DANT VITIA.

Non ignaua decent generoſas otia mentes, "
Virtutemq́; acer durat alitq́; labor. "

Ex Euripide in Phœniſſis.

Si quis malorum gaudeat commercio,
Rogare qualis ipſe ſit, nihil eſt opus:
Nam quiſq; ſimilis eſt ſodalitÿ ſui, "
Vadens ad aucupia cum viſco & illice.

Ex Theocrito.

τέτλιξ μὲν τέτλιγι φίλος, μύρμακι δὲ μύρμαξ, "
Formicis gaudet formica, Cicada cicadis. "

De Sedulitate & Iuſtitia, Germanici
Rythmi matris Philippi.

Wer mehr wil verzehren /
Denn ſein Pflug kan ereeren:
Der wird zuletzt verderben /
Vnd villeicht am Galgen ſterben.

Quorum hæc eſt ſententia:

Si quis de paruis vult plura abſumere rebus,
Quærere quàm vigili ſedulitate poteſt:
Is mendicando victum petat oſtia pulſans,
Aut feret huic triſtem crux laqueusq́;, necem.

Ex Heſiodo.

τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν. "
Virtutem voluêre Dÿ ſudore pari, "
Longa via eſt ac ardua quæ perducit ad illam;
Inq́; aditu primo longè eſt aſperrima, ſed cùm
Veneris ad ſummum facilis iucundaq́; fiet.

IN ALDVM, & PAVLVM ALDI F. ET ALDVM PAVLI F. ALDI N.

Alde, laborum omnium moli inſuperabilis Atlas,
Parcarumq́; adeò vix ſuperate manu:
Humanis namq; exemtus, rediuiuus in ipſo
Primùm idem gnato, moxq́; nepote redis.
Aut quaſi transſcribens Muſas hæredibus, viri
Has proprium genti vis decus eſſe tuæ.

P. HEG.

IN ANCHORAM ALDI, ET CIRCINVM PLANTINI, luſus.

Sacra Aldi fundum valido tenet anchora morſu,
Cui caudam Delphin inſinuatq́; caput.
Sic Plantine tuus conſtanter circinus vno
Stat pede, pes circum ſedulus alter obit.
Amborum è rigido ſunt inſtrumenta metallo:
Artificem exercet durus vtrumq; labor.
Sed Delphin celer eſt, & gyrat circinus orbem:
Et vincit CONSTANS omnia dura LABOR.

P. HEG.

Ex Heſiodo.
Optimus qui per ſe ſapit,
Proximus qui per alios,
Infelicisſimus qui neq; per ſe, neq; per alios.

» *Omnia per ſeſe qui prauidet, optimus ille eſt:*
» *Proximus ille tamen, qui paret recta monenti:*
» *Sed qui non ſapit ipſe, nec audit recta monentem,*
» *Inuida ei mentem miſero natura negauit.*

HIER. VVOLFIVS.

Hoc vetus eſt, ridere boni monitoris amorem:
Dictaq́ ſtulticiæ ponere cuncta loco.
Hoc etiam vetus eſt, vt qui præſagia rident,
Atroces pœnas corde gemente luant.

Neceſſaria facienda.
Amicitia cum paribus iungenda.

Feceris haud quicquam, niſi quod feciſſe neceſſe eſt, "
Quamq́ dedit norma eſt vna ſequenda Deus.
Et fugito turbam, niſi cum Reſpublica poſcit
Congreſſus medicos: futile turba malum eſt.
Nec tibi curabis multos adiungere amicos,
Rara hæc ſunt, candor, gratia iuſta, fides.
At ſi quos poteris, req́ officioq́ iuuato, "
Sic tamen, adiutos ne meminiſſe putes. "
Præcipuè verò remis veliſq́ potentum "
Fucoſas fugito cautus amicitias. "

INFELIX FELICITAS.

In inquieta ingenia fortunam ſibi ipſis fabricantia.

Omnia contigerint cùm vitæ commoda multis,
Firma valetudo, coniunx iucunda, lareſq́
Et ciuilis honos, & pax dulciſſima rerum.
Cur tamen humanæ mentis furioſa cupido
Appetit immenſum ſemper ſine fine, modoq́,
AErumnaſq́ volens fatumq́ accerſit acerbum?
Cauſa eſt vna, Deum quòd rectorem excutit audax.

IOH. IOVIANI PONTANI.

„ *Qui ruit ex alto, præceps ruit: ima ruina*
„ *Nulla eſt: è ſummo qui cadit, ille cadit.*

Ex oratione Lycurgi.

„ *Iratus ad pœnam Deus ſi quos trahit,*
„ *Auferre mentem talibus primùm ſolet,*
Caliginemq́ offundit: vt ruant ſuas
Furenter in clades, ſibi quas noxij
Accerſierunt vltrò conſilijs malis.

Iuſtus vt palma florebit.

Ocia non animis ſecura pecunia confert,
Nec vitæ tutus, credite, portus erit.
Denique nemo ſuo, vallum ſibi, Marte parare
Contra fortunæ iura vicesq́ poteſt.
„ *Felix ille, Deo quiſquis duce fidit, & huius*
„ *Ambiguum vitæ lege gubernat iter.*
Hunc pater in dubijs rebus tegit optimus, atq;
Defenſum in gremio geſtat vbiq; ſuo.
Vtq́ nihil lædunt hyemis mala frigora Palmam,
Illaq́ perpetui veris honore viret:
Sic etiam iſte malis neſcit ſuccumbere victus,
Durat, & in media viuere morte ſolet.

Imago CHRISTOPHORI, eſt imago Chriſtiani hominis.

Iſta piæ mentis formam tibi monſtrat imago,
Quæ Chriſtum vera cum pietate colit.
Nam velut in medijs incedit FLVCTIBVS Heros,
Qui non magnum humero ſed graue geſtat onus:

Sic &

Sic & multa pios diſcrimina oportet adire,
Qui verbum portant, Maxime Chriſte, tuum.
Omnia deſtituunt iuſtos ſolatia, nemo
Auxilium triſti tempore ferre ſolet.
Tu quoq; deſeruiſſe tuos, ô Chriſte, videris,
Sunt etiam qui te poſſe iuuare negent.
Hoc eſt cur PVERI ſis pictus imagine, namque
Conuenit infirmis iſta figura magis.
Tu quoq; lapſantes interdum deprimis ipſe,
Iraſci quoties te ſibi velle putant.
Suſtentat tamen, & præbet ſolatia verbum.
Ergo ARBOR greſſus arida facta regit.
Hæc tamen in florem rurſus ſeſe induet arbor,
Reddet enim iuſtis præmia digna Deus.
Ille SENEX lumen qui præfert, doctor habendus
Errantem vt monitis ritè gubernet, erit.

GNOMICA
MISCELLANEA.

SENTENTIÆ GRAVISSImæ de iuſtitia Dei punientis delicta: carmine expreſſæ.

Pſal. 124. Non permanebit ſceptrum impij.
Sap. 6. Potentes potenter tormenta patientur.

HERODOTVS.

τῶν μεγάλων ἀδικημάτων, μεγάλαι
εἰσιν ϗ αἱ τιμωρείαι παρὰ τῶν θεῶν.

Lento gradu ad vindictam ſui, diuina procedit ira, tarditatemq; ſupplicij grauitate compenſat.



„ *Non habet impietas ſucceſſus, credite, longos:*
„ *Et mala promeritos triſtia fata manent.*

ALIVD.

„ *Et quamuis ſecura diu ſunt otia prauis:*
„ *Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.*

ALIVD.

„ *Et ſemper culpam pœnæ comitantur atroces:*
„ *Et ſi ſera, tamen præmia laudis erunt.*
„ *Non vrbs, non regio, non ætas vlla ſeueri*
„ *Iudicij exemplis, non domus vlla caret.*

ALIVD.

„ *Ne dubita, ſemper delicta atrocia pœnæ*
„ *Et ſubitas clades poſt mala facta ſequi.*

ITEM:

„ *Iuſta Dei vanas non habet ira minas.*

Verſi-

Verſiculus ex ſtatua redditus Pauſaniæ duci Spartano, pœnam ipſi denuncians, cùm in vrbe Byzantio, factus iam ſuperbus & crudelis, filiam primarij ciuis, quam rapuerat, noctu in ſubita conſternatione interficeret. Miſerè autem & is vitam clauſit: cùm, reuocatus ex Byzantio, eò quòd Perſicis rebus ſtuderet, iamq́; Ephori eum prehenſuri & in carcerem ducturi eſſent, fugiſſet in templum Mineruæ: vbi incluſus, fame perijt, & quidem matre Alcithea, quando iam muro fores obſtruerentur, primũ lapidem locante.

ϛεῖχε δίκης ἆσσον, μάλα τοι κακὸν ἀνδράσιν ὕβρις.
Pœna luenda tibi eſt, adfert iniuria damnum.

ALIVD.

Punitur magnis cœca libido malis.

TIBVLLVS.

Ah miſer, & ſi quis primò periuria celat:
Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.

IOH. STIG.

Ah miſeros omnes, quicunq; ad crimina proni
Vlla putant iuſtum facta latere Deum.

IDEM.

Magna graues ſemper comitantur crimina pœnæ:
Et mala qui fecit, peius habere ſolet.

Sæpe bonis malè fit: ſæpe maliſq́; bene.

Sis miſer & nulli miſerabilis, omnia quiſquis,
A Dijs pro meritis cuiq; venire putas.

ITEM.

ITEM.

Et plerumq; malis fortuna indulget amica,
Non fauet illa diu, ſed fauet illa tamen.

Eiuſdem ferè ſententiæ eſt illud Ouidij diſtinguentis inter EVENTVS & EXITVM.

Exitus acta probat: careat ſucceſsibus opto,
Quiſquis ab euentu facta notanda putat.

IN INGRATOS & PERFIDOS.

Cuculus à curruca ſeu Hypolaide enutritus eandem demum deuorat.

Nidus humi iacet inter ſaxa Hypolaidos, in quem
Ignauus Coccyx oua fouenda gerit.
Cumq; diu pauit cuculum officioſa voracem,
Nec tamen ingluuiem iam ſaturare poteſt:
Tum ſibi ſeruatæ ſoluens mala præmia vitæ
» *Nutricem cuculus deuorat ore ſuam.*

ALIVD.

» *Ingrato cuculus nutricem deuorat ore,*
» *Et miſeræ pietas officioſa nocet.*
» *Heu mihi quàm ſcelus hoc imitantur ſæpe volucres,*
» *Pectora queîs Cygno candidiora putes.*

ALIVD.

» *Omnia ſunt ingrata, nihil feciſſe benignè eſt,*
» *Debita pro meritis gratia nulla redit.*

ALIVD.

» *Sunt homines, humeris quos ſi quis geſtet ad vrbem*
» *Auſoniam, domiti quæ caput orbis erat.*
» *Nec tamen ad portam placidè deponat eoſdem,*
» *Gratia præteriti nulla laboris erit.*

EX HE-

EX HESIODO.

Πολλάκι καὶ ξύμπασα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἐπαυρεῖ.
Vnius ob culpam ſæpe vrbs dabit integra pœnas. vel:
Sæpe luunt peccata viri totæ vnius vrbes. "

CLEMENTIA & PLACABILITAS.

ἰλιάδ. ι.

—— φιλοφροσύνη γὰρ ἀμείνων.
—— *placido nil pectore maius.*

CVPIDO, ſeu Κηριοκλέπτης Theocriti.

Pungit apis puerum veneris, dum dulcia mella "
Furatur: ſic ſunt dulcia mixta malis. "

DE CALVMNIA è Germanico.

Acriter attactu pungunt tribuliq́ue vepresq́ue; "
At grauius morſu perfida lingua nocet. "
Malo ego per ſpinas tribuloſve incedere nudus, "
Vſtas quàm falſo crimine ferre notas. "

P. MELISSVS.

DETESTATIO CALVMNIAE.

Quæ mala, quas cieat dentata Calumnia fraudes,
Non oculus, lingua aut vna notare poteſt.
Quin totam hanc linguas, oculos, tinctosq́ue veneno
Dentes, quin mera vel finge venena; parum eſt.
Et ſtulto obloquia, vt mellita obſonia, hiatu
Captamus? meritò hîc quæ facimus, patimur.
Ergo Chriſti ipſis, homicida calumnia, membris
Multa dedit (pudet heu) vulnera, multa dabit.

PE. HEG.

MELISSVS.

" *Forte merum fortis mulier, rex fortis: at ipſa*
" *His veritas eſt fortior.*

INVICTA VERITATIS VIS.

Ex Euripide in Phœniſsis.

Ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ.
" *Nam veritatis eſt ſimplex oratio,*
" *Interpretemq; non deſiderat vafrum;*
" *Sed ipſa per ſe viribus valet ſuis,*
" *Mala cauſa callidis opus habet pharmacis.*

Pythagoricum.

πάντα τὰ τῶν φίλων κοινά.
" *Omnia habent inter ſe communia amici.*

Animus donantis reſpiciendus.

" *Sit modo donantis mens candida, ſæpe redire*
" *Munere pro paruo gratia magna ſolet.*

Ex Plutarcho.

περὶ εὐθυμίας.
ἡδὺ μὲν εἴ τι φέρῃς, ὀλίγον δ' ἄχθος ἤν δ' ἀποείπῃς,
" *Gratum eſt ſi dederis, nec ſuccenſebo neganti.*

IN LIBEROS DEGENERES,

ex Homero ὀδυσ. β.

παῦροι γάρ τοι παῖδες ὁμοῖοι πατρὶ πέλονται:
οἱ πλέονες κακίους, παῦροι δέ τε πατρὸς ἀρείους.
" *Rara tamen ſoboles æquat virtute parentes,*
Plurima degenerat maiorum moribus, atq;
Vix vlli cumulant laudesq; decusq; parentum.

Ex Menandro.

Non eſt voluptas vlla ſuauior patri,

Quàm

Quàm temperantem & integrum prudentiâ
De ſe videre procreatum filium.

PATIENTIA.

Qui ſapit, ille animum fortunæ præparet omni; "
Præuiſumq́; poteſt arte leuare malum. "

Sperabis omnia optimè, & quæ accident, qualiacunq; erunt ſapienter feras.
M.C.lib.4.Epiſt.Fam.13.

Optima ſperentur, metuantur peßima: ſed quæ "
Sors tulerit, placido pectore quiſq; ferat. "
IOACH. CAMER.

MEDITATIO LEGIS *DIVINAE, SEV FORMVLA* *CONFITENDI PECCATA GENERALIS* *iuxta ordinem præceptorum Decalogi, coram miniſtro Eccleſiæ.*

Tradita à Philippo in Locis Theologicis.

DE PRIMO PRAECEPTO.

DEBEREM *equidem rectè cogitare de Deo, & firma fide ſtatuere, hunc vnum eſſe Deum creatorem omnium rerum, & futurum iudicem omnium hominum, qui ſe patefecit dato Verbo ſuo, & miſſo Filio. Deberem vero timore ei obedire, & metuere iram eius & iudicium, vera fide eum in-*

uocare propter Filium, & diligere eum, & ſentire aliquem grati pectoris motum erga Deum. DEBEREM *affici magnitudine miſericordiæ, quòd ſe nobis patefecit, quòd verè diligit genus humanum, verè vult nos ſaluos fieri: Deberem Filij benefi-*



cijs moueri, quòd pro nobis paſſus eſt, quòd dedit Euangelium, quòd promittit Spiritum ſanctum gubernatorem & vitam æternam. SED *hæc omnia leuius mouent animum meum, quàm debebat fieri: non ſatis timeo, ſæpè dubito, & quadam perpetua dubitatione, frigidius peto bona à Deo, frgidius inuoco, confido interim rebus præſentibus, & quæro præſidia vitæ, neglecto ordine quem Deus præcipit. Sæpe etiam falſa inuocatione errans offendi Deum, inuocaui homines mortuos, putaui magis ad hanc ſtatuam inuocandum eſſe Deum aut Sanctum, quàm alibi. Sæpe nunc quoque aberro, ne cogitem de vero Deo, qui ſe patefecit per Filium, ne cogitem de Filio, & de promiſſione. Deniq; non ardeo inuocatione, vt oportet.*

DE SE-

DE SECVNDO PRAECEPTO.



DEBEREM *Euangelium diligenter diſcere, celebrare ſermone, & ornare exemplis: agnoſco autem meam negligentiam in hac re. Imò ſæpe prætexo priuatæ cupiditati Euangelium. Sæpe meis exemplis & ſcandalis præbeo occaſionem alijs maledicendi Euangelio, aut alieno aliquos: Interdum erraui in aliquo dogmate, & eo errore deformaui doctrinam cæleſtem.*

DE TERTIO PRAECEPTO.

SÆPE *negligo publicas conciones & ceremonias in die feſto, non impeditus alijs cauſis, & meo exemplo alios abduco: Non ago gratias Deo pro inſtituto miniſterio, pro conſeruatione Eccleſiæ, pro conſeruatione Propheticorum & Apoſtolicorum ſcriptorum: non adiuuo Eccleſiam precantem pro publico ſtatu in*

cætu, nimis leuiter afficior cura miſeriarum communium, quòd inſcitia, diſcordijs, bellis diſsipantur Eccleſiæ & politiæ, & multorum animæ & corpora pereunt, non adiuuo ipſe miniſterium



Eccleſiaſticum meis officijs, non vereor, vt debeo, pios miniſtros: Interdum eis maledico, & meo exemplo confirmo contemtum aut odium eorum, non ſoluo eis debitas mercedes, ſæpe dies feſtos malè colloco in res turpes, & irrito Deum aduerſus multos.

DE QVARTO.

SVM *negligens in mea vocatione, in ſtudio, in regenda familia. Sum ingratus Deo pro beneficijs ordinis politici. Interdum iraſcor iniuſtè magiſtratibus, & maledico eis, nec tribuo eis debitam reuerentiam ex animo. Interdum rixas excito contra leges, & violo politicum ordinem cum ſcandalo & aliorũ detrimento, meis ſtultis tumultibus impedio alia publica negotia neceſſaria. Non ſum intentus, vt in meo ordine me coërceam, &*

caueam,



caueam ne turbem communem harmoniam publici ſtatus, ſum πλεονεκτικὸς, meæ vtilitati magis ſeruio, quàm publicæ, aut capto occaſiones turbandi.

DE QVINTO.



SÆPE

SÆPE *incendor iniuſta indignatione, & cupiditate vindictæ. Addo malas execrationes, quæ ex cupiditate nocendi erumpunt, Moueor æmulatione. Doleo alterius potentiam aut autoritatem creſcere, & premere eum cupio: Sum ſuperbus, deſpicio pares, & me eis anteferri poſtulo: Sum ſuſpicax, & ex falſis ſuſpicionibus interdum iniuſta odia concipio, ſero & confirmo diſcordias, ſæpe perfero rumores & ſermones, qui ſauciant animos & accendant odia, Habeo aliquid liuoris & maleuolentiæ, delector obtrectatione. Interdum calumnioſè deprauo aliena dicta & facta, non ſtudeo ſanare offenſiones, & concilia revoluntates, ſino creſcere odia priuato liuore, vel alia priuata cauſa, maledico abſentibus. Interdum afficio contumelia præſentes, impedio inuocationem meam & aliorum, excitatis odijs aut diſsidijs.*

DE SEXTO.



HABEO *errantes motus & flammas varias libidinum, indulgeo oculis & cogitationibus impudicis, contaminatur & corpus.*

pus. Hæc mala augeo intemperantia & crapula. His incendijs & crapulæ faſtidijs impedio pias meditationes & precationes, & acceſſo beluinam feritatem, cumulo mea impuritate iram Dei aduerſus me, meam familiam & ciuitatem.

DE SEPTIMO.



FRVOR *liberalitate parentum, aut ſtipendio publico, & non bene colloco, defraudo meos fratres aut alios pauperes, ſum iniuſtus in contractibus, non ſtudeo propter Deum ſeruare æqualitatem, malignè ſoluo debita precia, exerceo aucupia pecuniæ quærendæ iniuſta, ſumo mutuò variis prætextibus, ac ne curo quidem ſoluere, retineo res alienas, non ſum fidelis & diligens in mandato labore, res vitioſas vendo, res locatas corrumpo.*

DE OCTAVO.

NON *præſto candorem & veritatem, quam Deus requirit in dictis & factis, admiſceo ſophiſticam conſiliis & negotiis*



aut doctrina, interdum propugno falſa ex odio, iracundia, aut iniuſta pertinacia, aut adulatione, aut metu, in moribus etiam eſt hypocriſis, ſimulatione virtutis, aut falſa iactantia.

DENIQVE *agnoſco me miſerum in hac cæcitate & ſecuritate, horribiliter negligere iram Dei, & multis modis aberrare ab eius præceptis, ac multis ſcandalis alios lædere, & accerſere mihi & alijs pœnas, nec poſſe me magnitudinem ac multitudinem meorum vitiorum aut lapſuum intelligere, ſed fateor me meritum eſſe præſentes & æternas pœnas, ac vero dolore clamo: Tibi tantum ſum peccator, coram te malefeci, vt iuſtificeris, etc. Verè doleo Deum à me offenſum eſſe, & lædi ac pollui Eccleſiam & reliquum genus humanum, & confugio ad Filium Dei Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum propitiatorem, propter hunc oro, vt Deus æternus pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, bonus, ſapiens, iudex, & fortis, iram ſuam à me auertat, & mihi peccata remittat propter Filium, & me ſua immenſa miſericordia*



recipiat, ſicut dixit: *Viuo ego nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat.* Ac polliceor me repugnaturum eſſe peccato, & nihil facturum contra conſcientiam, & oro Deum, vt me regat Spiritu ſancto ſuo, & à vobis tanquam miniſtro Chriſti peto, vt vocē Euangelij mihi aununcietis, cui credo, & ſimul Eccleſiæ promitto, me mores emendaturum eſſe, & ſcandala vitaturum.

MEDITATIO ORATIOnis Dominicæ,

Tradita in locis Theologicis.

OMnipotens, æterne & viue Deus, æterne Pater Domini noſtri IESV CHRISTI, qui te patefeciſti immenſa bonitate, & clamaſti de filio tuo Domino noſtro Ieſu Chriſto, HVNC AVDITE, conditor omniū rerum & conſeruator, cum Filio tuo coæterno Domino noſtro Ieſu Chriſto, regnante tecū, et patefacto

in Ieruſalem, & Spiritu ſancto tuo effuſo in Apoſtolos, ſapiens, bone, miſericors, iudex & fortis, PATER NOSTER QVI



ES IN COELIS, *qui ades vbiq;, vbiq; reſpicis & exaudis, qui placatus nobis es per Filium, & hoc ſacerdote perferente, noſtras preces recipis.*

SANCTIFICETVR NOMEN TVVM.

Effice, vt verè agnoſcaris, vt vera doceantur, per quæ gloria tua verè pateſiat, vt te rectè inuocent, & colant homines, fac vt vox Euangelij verè & latè ſpargatur, & rectè accipiatur, & vt multi homines vera inuocatione & obedientia Deum celebrent.

ADVENIAT REGNVM TVVM.

Sparſa Euangelij voce, regas etiam nos Spiritu ſancto tuo, effice vt verbo tuo credamus, inchoa in nobis Regnum tuum, vt ſiamus hæredes regni tui, & deſtruas regnum Diaboli, horribiliter graſſantis in genere humano, & paſſim homines impellentis ad

tis ad Epicureum Dei contemtum, aut colenda idola, ſcelerata homicidia, libidines, mendacia & alios furores. Aduerſus hæc mala, defende nos æterne Pater domini noſtri Ieſu Chriſti, & rege nos Spiritu ſancto tuo, ſicut dixiſti, Effundam de Spiritu meo.

FIAT VOLVNTAS TVA SICVT IN COELO ET IN TERRA.

Da vt omnes obediant tibi in terra, da vt paſtores Eccleſiæ, reges, magiſtratus, doctores, diſcipuli, ciues, ſuo loco ſinguli officium ſuum rectè & fideliter faciant, ac omnes tibi obediant, ſicut Angeli in cœlo tibi obediunt, ac placent tibi: tuum opus eſt efficere, vt nos miſeri, ſtulti, infirmi, res geramus bonas & ſalutares, ſimus organa non iræ, ſed miſericordiæ, ſimus vtiles Eccleſiæ, non ſimus peſtes καὶ ἀλάστορες. *Politia Ezechiæ felix eſt te iuuante: Politia Sedechiæ infelix eſt, quia te adiutorem repellit. Nos non repellimus te, ſed vero pectore, veris lacrymis oramus, vt noſtras Eccleſias, Doctores, Scholas, Principes, Gubernatores, populum regas, vt aliqua fiant tibi grata: Tu es, qui efficis, vt velimus, efficies etiam vt perficiamus, vt aliqua tibi grata fiant. Nam Diabolus & homines impij magno furore ſtudent ingrata tibi facere, confirmant Epicureos furores, idola, libidines, accendunt iniuſta bella, efficiunt triſtiſſimas vaſtitates. Sed ne totum genus humanum fruſtrà conditum ſit, ne omnes ingrata DEO faciant, tu Eccleſiam vocaſti, & Spiritu ſancto tuo trahis, vt bona & grata Deo faciat, ſonet veram de Deo doctrinam, audiat, rectè inuocet te, gratias tibi agat, & obediat tibi, multos feliciter abſtrahat à Diabolo, pijs & ſalutaribus conſilijs regat alios, tueatur pacem & honeſtam diſciplinam, & in ſua quiſq; vocatione ſeu functione, officium ſuum ritè & feliciter faciat.*

PANEM NOSTRVM QVOTIDIANVM DA NOBIS HODIE.

Da victum, pacem, defenſionem, bonam valetudinem, vt labores vocationum perferre poßimus, ſucceſſum in rebus gerendis iuxta vocationem, liberorum educationem, mediocrem tranquillitatem, hoſpitia, politias honeſtas, diſciplinæ, iuris & iudiciorum cuſtodes, & non dißipatas ſeditionibus, laxatione diſciplinæ, aut bellis.

REMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA.

Confitemur & agnoſcimus nos circumferre peccata & multiplicem infirmitatem. Si enim diceremus, nos non habere peccata ipſi nos ſeduceremus, & veritas in nobis non eſſet. Ideoq́ obſtrepit nobis indignitas noſtra, ac deterret nos à te, Deus, vt trepidæ mentes fugiant te. Sed quia confitentur peccata noſtra, fidelis es & iuſtus, vt remittas nobis peccata noſtra, & quia iubes nos petere remißionem, haud dubiè eam petentibus propter Mediatorem Chriſtum dabis. Per hunc enim recipi nos & exaudiri credimus, ſcimus hunc Sacerdotem pro nobis interpellare, & hac fiducia ad thronum gratiæ accedimus. Vis autem & NOS REMITTERE DEBITORIBVS NOSTRIS, *vis nos agere pœnitentiam, & non perſeuerare in delictis contra conſcientiam, non vis mentem retinere contemtum Dei, nec tales peccatores exaudis. Non enim placent tibi ceremoniæ & precationes eorum, qui perſeuerant in peccatis contra conſcientiam. Ideo vis nos excitari ad pœnitentiam & emendare mores.*

ET NE NOS INDVCAS IN TENTATIONEM.

Ne ſinas nos pertrahi à Diabolo ad impietatem & ad alia ſcelera, defende nos contra Diaboli inſidias, rege nos tua luce,

tuis conſilijs, nec ſinas nos ruere deceptos noſtris erroribus, aut impulſos imbecillitate carnis. Magna & admiranda ſapientia & virtus fuit Dauidis, hunc tamen videmus aliquoties impulſum, aliàs à Diabolo, aliàs humanis erroribus ruere. Cùm igitur magna ſit infirmitas omnium, tu nos æterne Pater domini noſtri IESV CHRISTI *rege, & oſtende nobis ſalutaria conſilia in priuatis & publicis negocijs, & confirma corda noſtra Spiritu ſancto tuo, vt tibi obtemperent, vt ſimus non organa iræ, ſed organa miſericordiæ, & vtiliæ Eccleſiæ. Poſtremò*

LIBERA NOS A MALO,

Ab omnibus miſerijs & ærumnis huius vitæ, à peccatis, à tyrannide Diaboli, à ſcandalis, à calamitatibus publicis & priuatis, vt videlicet cum vniuerſa Eccleſia erepta ex præſentibus miſerijs, donemur luce, iuſtitia & vita æterna, & fruamur dulciſsima conſuetudine Dei æterni, & Domini noſtri Ieſu Chriſti. Amen.

ALTERA PARAPHRASIS
ORATIONIS DOMINICAE paulò copioſior.

Ex commentario Philippi in Matthæum.

O*Mnipotens, æterne, vere & viue Deus, æterne Pater D. noſtri Ieſu Chriſti, conditor cæli & terræ, vnà cum Filio tuo Domino noſtro Ieſu Chriſto, & cum Spiritu ſancto, Te ſupplex alloquor, oro & inuoco, ad te confugio, tuam miſericordiam & opem veris gemitibus imploro, exaudi me, iuxta promiſsiones tuas, propter filium Mediatorem Ieſum Chriſtum:* TV ES PA-

TER NOSTER, *tu vis nobis eſſe placatus, nos recipere & exaudire propter Filium tuum, quem conſtituiſti pro nobis Propiciatorem. Ingens, verus & ardens amor eſt Parentum erga natos, propterea vero animi motu ad te Patrem amantiſsimum confugio, quem fiducia patefacti Filij certò ſtatuo, miranda & paterna beneuolentia mihi in omnibus periculis opitulaturum, & diuina conſolatione leniturum eſſe calamitates & ærumnas.*

ES ETIAM IN COELIS, *hoc eſt, es omnipotens, opitulator, & verè ades vbique, reſpicis & exaudis, vides & iudicas motus ac gemitus cordium noſtrorum, eſtq́; tanta tua potentia, vt certô mihi poſsis opitulari. Certò enim ſtatuo te vnicum, verum, æternum, omnipotentem, viuum, ſapientem, bonum, beneficum, veracem, caſtum, iuſtum atq; miſericordem* DEVM *eſſe, qui te per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, reſurrectione mortuorum, & alijs miraculis patefeciſti, ac verè vis & potes nobis opem ferre, dare vitam & ſalutẽ propter Filium tuum, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.*

SANCTIFICETVR NOMEN
TVVM.

Ah Domine Deus accende in nobis puram, veram & ſanctam agnitionem Nominis tui, da nobis puram & ſinceram doctrinam ſine corruptelis, ne vel errores amplectamur, vel idololatricos cultus recipiamus; ſed effice, vt te verum & vnicum Deum, Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui te patefeciſti per hunc filium Ieſum Chriſtum, ab initio miſſum ad Eccleſiam, crucifixum & reſuſcitatum, ſanctè agnoſcamus, tibi verè credamus, te rectè inuocemus, colamus ac celebremus. Cuſtodi nos clementer, ne fanaticis et idololatricis furoribus animi noſtri faſcinentur, tolle Idololatriam & omnes impias opiniones, effice, vt

tu ve-

tu verus Deus rectè innoteſcas, verè agnoſcaris, vera fide inuoceris, colaris & celebreris.

ADVENIAT REGNVM TVVM.

Tu per Miniſterium & vocem doctrinæ tuæ regenera, rege, guberna nos Spiritu ſancto, inchoa in nobis regnum tuum in hac vita, & perfice poſt hanc vitam, ſis in nobis efficax, accende per vocem Euangelij & agnitionem tui, veram fidem, iuſtitiam et vitam æternam in cordibus noſtris, deſtrue regnum Diaboli, non concedas Diabolo, vt præſtigijs ſuis noſtros animos capiat, & deinde implicatos & irretitos horribiliter impellat et euertat. Habitet ac regnet Ieſus Chriſtus filius tuus potenter & efficaciter, ac manſionem faciat in nobis, ſicut ipſe promiſit inquiens: Si quis diligit me, ſermonem meũ ſeruabit, et Pater meus diliget illum, & veniemus ad eum, & manſionem apud eum faciemus.

FIAT VOLVNTAS TVA, SICVT IN COELO ET IN TERRA.

Ah Domine Deus, Tu regas ipſe & adiuues tuas functiones, vt omni gubernatione, adminiſtratione, vocatione, tua voluntas fiat, id eſt, vt fiant ea, quæ tu mandaſti, fiant tibi grata & placentia videlicet, vt concionatores & Eccleſiæ miniſtri rectè, fideliter, ſanctéq́ doceant, vt Reges, Principes, conſules, ac omnes qui præſunt, pijs & ſalutaribus conſilijs conſtituant, regant ac defendant reſpublicas, vt Patres Matresq́ familias honeſtè curent ſuos liberos educari, erudiri & caſtigari iuxta doctrinam cæleſtem, vt ſinguli ſuo loco officium ſuũ ritè & fideliter faciant, ac maneant omnes adiuncti copulatiq́ tibi Deo, tanquam membra viua ſuo vero capiti, & omnes tibi obediant, nec auulſi diſcedant & aberrent à vero capite. Tolle omnia ſcandala guberna-

torum, & aliorum qui offendunt tuam Voluntatem. Non concedas vt Diaboli ſerant falſam doctrinam, ſpargant inter nos tetros errores & contumelioſos aduerſus Deum, quibus homines auellant à Deo, ſicut Adam et Euam deceptos abſtraxerunt à tua voluntate. Non accendant Diaboli odio tui tyrannides & iniuſta bella contra tuam voluntatem, ne ſequantur triſtiſsimæ vaſtationes Eccleſiarum, interitus diſciplinæ & piorum ſtudiorum iuuentutis.

PANEM NOSTRVM QVOTIDIANVM DA NOBIS HODIE.

Da nobis omnia corporis commoda, ſuſtenta & proroga nobis vitam, da nobis bonam valetudinem, vt labores vocationum perferre poſsimus, da victum, cibum, potum, da pacem, mediocrem tranquillitatem, hoſpitia, politias, coniugia, œconomias, vt ſoboles foueri & educari poſsit, protege domicilia, tuguriola et oppidula noſtra, da commodas tempeſtates, fœcunditatem agrorū, fruges, annonam, da bonos ſucceſſus in officijs vocationis, felicitatem in adminiſtratione politica & œconomica, ſucceſſus in cōmunicatione rerū per contractus, in negociatione, in officio meo, concede paruis meis liberis longa & felicia vitæ ſpacia, da vires corporis & vigorem ingeniorum, nō ſinas in his regionibus, vel Turcicis, vel ciuilibus bellis, vel ſeditionibus, barbaricam vaſtitatem fieri, defende caſulas noſtras, ne incendijs aut alijs cladibus pereant.

ET REMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA, SICVT ET NOS REMITTIMVS DEBITORIBVS NOSTRIS.

Tu Domine Deus non ignoras multiplicia & magna peccata noſtra ac triſtiſsimos lapſus, propter quos meritò nos abijceres, reſpueres

ſpueres, & auerſareris noſtras preces, auxilium & liberationem nobis exhiberes, ſed iuſtas pœnas infligeres. Sed tamen tibi gratum eſt, quòd agnoſcimus & confitemur peccata noſtra, nec vis à te deficere aut opprimi deſperatione. Itaq; iuſſu Filij tui ad te certa & firma fiducia accedimus, ac petimus vt nobis omnia noſtra debita & peccata ſiue magna ſiue parua, omnes quotidianas & multiplices labes & infirmitates, propter Mediatorē Chriſtum remittas. Obſtrepit quidē nobis indignitas et infirmitas noſtra, vt ſemper trepidæ mentes noſtræ, nec ad te accedere, nec auxiliū petere audeant, ſed quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus Filius tuus ipſe iuſſit peti remiſſionē, et quidem quotidiè peti, ac tu mādaſti Filiū tuū audiri, certò quoq; ſtatuo te velle nobis omnia peccata, quantacunq; ſunt, remittere, & ſordes nobis cōdonare, nec indignitatē noſtrā ac imbecillitatē, ſed immenſam tuā miſericordiam reſpicere, ſicut ipſe iuraſti, inquiēs: Viuo ego nolo mortē peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat. Vis autem & nos remittere debitoribus noſtris, vis in nobis eſſe iuſtitiam bonæ cōſcientiæ & bonum propoſitū, ac vis in conuerſione deponi delicta contra conſcientiā, ne indulgeamus odio interno & priuatæ cupiditati vindictæ, ne ſcientes cōtra mandatum tuū velimus alios lædere vel opprimere, ſed ſtudeamus recōciliatis ſeu recuperatis volūtatib. offenſiones ſanare, quantum poſſumus. Tu ergo nos æterne Pater Spiritu tuo rege & guberna, vt verè ad te conuertamur, & tuā erga nos miſericordiam & amorem agnoſcentes, proximo quoq; delicta & infirmitates ex animo condonemus.

ET NE NOS INDVCAS IN TENTATIONEM.

Ne ſinas nos mergi, ſuccūbere et opprimi cū tentamur, quādo Diaboli periculū, peſtē et exitiū moliūtur corporib. animab. coniugib. & liberis noſtris, quando dilacerare Eccleſias et turbare Reſpu. conātur. Itē cū alij homines cōſilijs et incitationib. ſuis vo

lunt nos irretire & implicare malis. Item cùm ſuperati propria infirmitate, rapimur & impellimur ad inhoneſta vel extitioſa negotia. Non enim noſtra ſapientia noſtriſq́ꝫ conſilijs, ſine gubernatione, cuſtodia & ope tua, regere poſſumus mores & negocia, ac pericula depellere. Nec vlla humana ſapientia & vigilantia, par eſſe tantæ moli periculorum & impedimentorum, nec ſufficere poteſt ad regendam vitam noſtram, ad ſuſtinendam vocationem, ad proſpiciendas cauendaſq́ꝫ ſanctiones & impoſturas hominum, ad vincendam deniq́ꝫ propriam infirmitatẽ, ſine auxilio & protectione tua. Ac in ſumma: ſumus imbecilles & varijs calamitatibus onerati. Quare te inuocamus, & auxilium ac gubernationem tuam imploramus, ac petimus nos regi, protegi, et iuuari à Filio tuo Domino noſtro Ieſu Chriſto, quem miſiſti, vt ſit defenſor & cuſtos Eccleſiæ, & qui dixit: Sine me nihil poteſtis facere: Accende in nobis initia tuæ lucis per ſpiritum Sanctum, vt ambulemus accuratè, non vt fatui, ſed vt ſapiẽtes, vt in vitandis lapſib. intenti ac circumſpecti, & in precando ardentes ſimus. Ne ſinas nos pertrahi in laqueos Diaboli, nec ſuccumbere prauis inclinationibus, nec in ſuperbiam, faſtum, fiduciamq́ꝫ noſtri ruere, nec in triſtitiam & deſperationem mergi, nec alijs tentationibus, quæ multæ variæq́ꝫ ſunt, opprimi.

SED LIBERA NOS A MALO,

Aeterno & temporali, præſenti impendenti, particulari & vniuerſali, quod nobis accidere poteſt, niſi tu Deus auertas. Libera nos propter filium tuum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtũ, à peccato, à tyrannide Diaboli, & ab æternis pœnis, nec abijcias nos in ſempiternum exitium, cruciandos cum Diabolis & omnibus impijs. Clementer etiam mitigato nobis publicas et priuatas calami-

calamitates, pœnas meritas, ac omnes huius vitæ miſerias & ærumnas, non ſinas fieri Ethnicas vaſtitates, non ſpurcitiem Diabolicam, non Turcicos furores graſſari ſinas in genere humano. Corripe nos Domine, veruntamen in iudicio, non in furore, ne fortè ad nihilũ redigas nos. Cũq; iratus fueris, immenſæ tuæ miſericordiæ recorderis. Ac tandem abolito peccato & deleta morte, tu ſis omnia in omnibus, & nobis tuam ſapientiam, bonitatẽ, lætitiam & vitam, in omni æternitate communices, vt dulciſſima conſuetudine tua & filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti, omniumq; angelorum & electorum in æternum fruamur.

AMEN.

Hæc ita veriſſimè fiant & rata ſint: Ac firmiſſimè ſtatuo, me propter Chriſtum exaudiri, et certiſſimè non inanes, nõ inutiles, nec irritos eſſe gemitus et clamores meos. Scio enim ſeueriſſimam & immutabilem tuam voluntatẽ eſſe, vt te inuocemus, & certò vis nos propter Filiũ tuum Ieſum Chriſtũ exaudire, quã ob cauſam & promiſſiones tuas tradidiſti, addito mãdato immutabili vt credamus quòd velis nos exaudire. Ideoq; nõ dubito, quin mihi, quæ peto, daturus ſis. Oro etiam ardentibus votis, vt hæc initia fidei in me confirmes, quemadmodum trepidus ille, agnita imbecillitate fidei petit ſe confirmari: Credo Domine, ſed opem fer diffidentiæ meæ.

PARAPHRASIS ALIA ORATIONIS DOMINICAE breuiſſima.

Valentini Trocedorfii.

Quis eſt ordo, & quot ſunt gradus in Oratione Dominica, rerum petendarum? Septem.

PRIMVS *gradus de agnitione Dei & de doctrina, per quam agnitio accenditur.*

SECVNDVS, *de efficacia agnitionis, & de gubernatione.*

TERTIVS, *de obedientia in vocatione.*

QVARTVS, *de victu & ſuſtentatione corporum.*

QVINTVS, *de remiſſione peccatorum.*

SEXTVS, *de auxilio & defenſione.*

SEPTIMVS, *de liberatione, hoc eſt, de mitigatione præſentium calamitatum, & de liberatione integra & æterna.*

Pater noſter, qui es in cœlis. *Aeterne Deus, cùm nos propter Filium recipis, & iubes vt te inuocemus, et promittis te nos exauditurum: ergo nos obedientes mandato tuo, & confiſi promiſſione tua accedimus ad te orantes:* SANCTIFICETVR NOMEN TVVM. *Da vt te verè agnoſcamus & inuocemus, tibi verè confidamus, gratias agamus, vt obediamus, abole idolomanias, ſuperſtitiones & errores.*

Aduc-

Adueniat Regnum tuũ: *Abole regnum Diaboli, prohibe ne in nobis dominetur peccatum: Sanctifica & rege nos Spiritu ſancto tuo, defende Eccleſiam aduerſus Diabolum & organa ipſius, Pontifices, tyrannos & hæreticos, qui nomẽ Dei extinguere conantur.*

Fiat voluntas tua in terra, ſicut in cœlo. *Angeli ſancti tibi obediunt, & ſuum officium faciunt: ſic effice, vt in terra omnes homines & doctores ſuum officium faciant.*

Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. *Da pacem, ſalubritatem aëris, ſucceſſum in rebus & ſtudijs: prohibe bella, peſtilentiam & omnes calamitates.*

Remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris. *Nam horrendã imbecillitatẽ, & multos immoderatos errores nobiſcum circumferimus, & quotidie te grauiter offendimus, ignoſce & remitte nobis debita noſtra propter Chriſtum mediatorem noſtrum: & da vt quoq; alijs ex animo condonemus offenſas ipſorum.*

Ne nos inducas in tentationem. *Non ſinas nos labi in impietatem, ſed conſerua nos Spiritu ſancto, vt fortiter aduerſus peccatum, & mundum, & concupiſcentiam dimicemus, & duce Filio tuo victoriam obtineamus.*

Sed libera nos à malo. *Libera nos à peccato, morte & aliis calamitatibus, & duc nos in vitam æternam, vbi fruemur perpetua conſuetudine Dei.*

Amen. *Sancte Pater has preces, quas in nomine Filii tui vnigeniti offerimus, velis eſſe ratas & efficaces, Amen.*

AD TRI-

AD TRINITATEM GRATIARVM ACTIO PRO beneficijs ſpiritualibus & corporalibus.

Philip. Melanth.



AGO tibi gratias omnipotens, æterne & viue Deus, æterne Pater domini noſtri Ieſu Chriſti, conditor omnium rerum, & conſeruator ac opitulator, cum Filio tuo coæterno, Domino noſtro Ieſu Chriſto, patefacto in Ieruſalem, & Spiritu ſancto tuo effuſo in Apoſtolos, quòd te patefeciſti nobis immenſa bonitate, certis & illuſtribus teſtimonijs, & quòd condidiſti & elegiſti tibi Eccleſiam perpetuam, & voluiſti Filium tuum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum pro nobis fieri victimam, dediſti nobis Euangelium tuum, & Spiritum ſanctum, remittis nobis peccata, & liberas nos à poteſtate Diaboli, & à morte æterna, & das nobis vitam æternam, & hactenus in hac vita me multis magnis beneficijs donaſti, dediſti vitam, victum, doctrinam, pacem ijs locis, in quibus vixi, & mitigaſti pœnas, quas meritus ſum.

AGO tibi gratias etiam Domine Ieſu Chriſte, crucifixe pro nobis & reſuſcitate, Emanuel, quòd copulaſti tibi humanam naturam, paſſus es pro nobis, &

bis, & reſurrexiſti, ac redemiſti nos, ſeruas ac defendis Eccleſiam cõtra Diabolos hoſtes tuos, & das & inſtauras ſæpè lucem Euangelij, remittis nobis peccata, & das nobis vitam æternam, & es Mediator & interpellator pro nobis aſsiduus, & vis nobis opitulari, ſicut dixiſti: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, ego reficiam vos.

AGO etiam tibi gratias Spiritus ſancte viuificator, effuſe in Apoſtolos, quòd accendis lucem tuam in noſtris mentibus, regis, doces, mones & iuuas me conſilio, gubernas labores vocationis meæ, & ſanctificas me ad vitam æternam.

FORMVLA GRATIARVM ACTIONIS.

Ioach. Camer.

O Omnipotens, æterne, glorioſiſsime Deus, Pater domini noſtri Ieſu Chriſti, qui cuncta feciſti creaſtiq́ ab initio, & creata conſeruas, vnà cum coæterno Filio tuo Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui ſecundum diſpenſationem ſeu conſilium incarnationis ſuæ Hieroſolymis manifeſtè verſatus eſt: & vnà cum Spiritu ſancto effuſo in Apoſtolos: Glorifico, benedico, gratias ago, quòd nobis cognitionem tui benignitate immenſa præbuiſti, bono nuncio nunciato per æternum ſermonem, & filium tuum, pacis, quiq́ confirmaſti fidem Euangelij, cùm alijs ſplendidis teſtimonijs, tum reſurrectione mortuorum: & quod acquiſiuiſti tibi populum eximium, Eccleſiam filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui bona voluntate tua mactatus pro nobis factus eſt victima: Et quòd donaſti nobis ſpem ſalutis, & conſolationem Spiritus ſancti in remiſsione peccatorum, & à poteſtate Diabolica redemtione, & liberatione ab æterna morte, & promiſiſti vitam æternam ſeruantibus fidem, & diligentibus te. In præſente autem vita multa, & magna beneficia in nos contuliſti: Primum in lucem nobis productis, deinde conceſſa pace manente in regionibus quas colimus, & cibi copia conciliata, & triſtioribus calamitatibus, pœniſq́ innumerabilibus ſuppliciorum debitorum delictis noſtris, aut penitus aduerſis, aut placidè mitigatis.

Benedico te, O Chriſte Ieſu, fili Dei viuentis, Domine & ſaluator, qui Deus es nobiſcum propter nos, ſermo æternus, propter noſtram corruptam carnem caro factus, quiq́ habitaſti in nobis: Qui crucifixus, paſſus, & mortuus

tuus es pro peccatis, & reſuſcitatus, propter iuſtitiam noſtram. Qui liberaſti captiuos, & eduxiſti in lucem ſedentes in tenebris ac vmbra mortis, cum apparuiſſes redemtor, & ſol iuſtitiæ: Quiq́ ſemper præſto es protegens Eccleſiam tuam, opponendo te hoſtibus tuis Diabolis, & toti miniſterio eorum, neq́ ſinis extingui veritatis lumen in ipſa, neq́ ceſſas curare, atq́ ſanare vibices & vulnera illius, & reſtituere collapſa, per remiſsionem peccatorum, & indumentum immortalitatis: Qui es & permanes in ſæculum mediator & ſupplex, & interceſſor pro nobis miſeris apud patrem æternum, paratus ſemper nobis ſuccurrere, & qui nunquam negligendo nos ſupplantari ſinis, neq́ præfocari à quibuſcunq́ exitioſorum temporum caſibus.

Benedico te cum gratiarum actione, ô paraclete, Spiritus ſancte, Spiritus veritatis, qui conſediſti ſuper Apoſtolis: cùm non ceſſas accendere in cordibus noſtris diuinæ cognitionis lumen ſacrum, qui me erronem, ô munerum gratiæq́ largitor, dirigis in vero rationis diuinæ itinere, docens, intelligentia inſtruens, commonefaciens, præcipiens ſemper boni quidpiam, & corrigens diffidentiæ cogitationes peruerſas, quæ adoriuntur nos, nec non ignauiam modicæ fidei: Qui ſanctificas nos ad expectationem aduentus Domini noſtri Ieſu Chriſti, & hæreditatem regni Dei in vita æterna.

MEDITATIO

MORTIS ET PASSIONIS FIlij Dei & gratiarum actio.

Valent. Trocedorfij recitata Anno 1549.

AGo tibi gratias toto pectore Domine Ieſu Chriſte, æterni Patris Fili coæterne, Emanuel, Redemtor & Saluator noſter, quòd immenſa miſericordia pro me miſerrimo & abiectiſsimo peccatore coram æterno Patre ſupplex factus es, & te ad pœnam obligaſti: et humana natura in vtero Mariæ Virginis aſſumta, Homo factus es, et tua admiranda obedientia pro mea inobedientia ſatisfeciſti, & λύτρα ſoluiſti: & hac ipſa veſpera ante annos 1516, in horto horrendam agoniam ſuſtinuiſti, et luctatus es cum noſtro peccato, cum tremendo iudicio & ira dei, cum morte & Diabolo: et tanta fuit conſternatio, vt præ angore de ſanctiſsimo corpore tuo Cruentus ſudor erumperet, atq́ θρόμβοι αἵματος, guttæ ſanguinis largè defluerent in terram:

ram: & ſponte in manus hoſtium te tradidiſti, et captus es, vinculis conſtrictus, afflictus, & verberatus, contumelia & ludibrijs affectus, confictis criminibus rabioſè accuſatus, flagris & ſpinis immaniter laceratus: falſæ ſententia iniuſti iudicis ad mortem condemnatus, ad ſupplicium productus,



tanquam ouis ad lanienam: manibus & pedibus diſtentis cruci affixus, & in ſublime erectus: et extremo agone vrgente, præter acerrimos cruciatus ex laceratione neruorum in tenerrimo corpore tuo, præter horrorem mortis inſtantis, longè grauiores & inenarrabiles dolores et pauores in te irruerunt, cùm Dominus ipſe omnium noſtrûm peccata in te conijceret, et totam molem peccatorum vniuerſi generis humani in te graſſari iuberet: cùm diuinitas ſe ſubduceret, adeò vt nullam prorſus conſolationem ſentires, & à Deo te deſertum eſſe gemeres, imò etiam ira Dei aduerſus peccatum in te effunderetur: vbi verè pro nobis factus es maledictum, vt nos à maledictione & condemnatione legis liberati, per te conſequeremur benedictionem Abrahæ: & ne quid deeſſet ad ſummos dolores hoſtes immani rabie addiderunt virulentos ſarcaſmos: cumq́; Sol præter naturæ ordinem lucem ſuã ſubduceret, terra tremore concuteretur, & duriſſimæ petræ ſine vlla humana vi diſilirent, ac cœlo & terra contremiſcente, tota natura huius tanti ſupplicij conſpectu exhorreſcente, inter clamores & preces animam tuam in manus æterni Patris, hoc ipſo die circa horam nonam commendans expiraſti: atque

que

quę ita ſummus Pontifex noſter in ſublimi ara pro nobis teipſum obtuliſti hoſtiam Deo, in odorem ſuauitatis: & per ſanguinem proprium in ſanctum ſanctorum ingreſſus, redemtionem æternam nobis paraſti, & vnica oblatione tua conſummatè in æternum reconciliaſti omnes ſanctos: & miniſterium in Eccleſia conſtitutum conſeruas, ſubinde inſtauras, & per illud es efficax, & per vocem Euangelij et Sacramenta nobis impertis beneficia mortis tuæ, remiſſionem peccatorum, imputationem iuſtitiæ, Spiritum ſanctum & hæreditatem vitæ æternæ: & perpetuò es noſter propugnator aduerſus portas inferorum, & iugiter pro nobis intercedis apud æternum Patrem, & es perpetuus noſter opitulator: & voce publica ad te vocas, & amantiſſimè inuitas omnes: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, ego reficiam vos.

Peto à te, Domine Ieſu Chriſte ardenti gemitu, iuua & rege me Spiritu ſancto, vt amplitudinem miſericordiæ tuæ & beneficiorum tuorum ſubinde magis magisq́; intelligam, & vera fide accipiam: auge in me fidem, & me iuua, vt in confeſſione conſtanter perſeuerem, et vera gratitudine te conſtanter celebrem.

Serua Eccleſiam ſanguine tuo precioſo redemtam, & perpetuò da nobis Doctorem ad iuſtitiam, effunde nobis imbrem temporaneum & ſerotinum, & ſerua in miniſterio incorruptam vocem Euangelij, ſerua hoſpitia Eccleſiæ & recta ſtudia doctrinæ. Et da nobis panem ἐπιούσιον, hoc eſt, nutrientem corpora, & pacem. Et quia ad hoc apparuiſti, vt opera Diaboli deſtrueres, reprime & depelle dirum hoſtem Diabolum, per ſua organa immaniter graſſantem aduerſus Eccleſiam.

Ora pro nobis æternum Patrem, vt noſtri miſereatur, et mitiget calamitates, & pœnas, quas meriti ſumus, & in ira iuſtiſſima immenſæ miſericordiæ ſuæ recordetur: & Spiritu ſancto tuo conſolare & confirma omnes afflictos, qui in ſuis ærumnis in nomine tuo æternum Patrem invocant. Adiunge nobis tuos Angelos cuſtodes, & effice nos organa miſericordiæ, & iuua, vt aliqua tibi grata per nos fiant: Vt nomen tuum & æterni Patris, & Spiritus ſancti vera agnitione, inuocatione & obedientia inter nos ſanctificetur: Veniat regnum tuum, &c.

A. M. E. N.

INVOCATIONIS PIAE FORMVLA, RE- citationi Symboli, Orationis Dominicæ & Pſalmorum certorum cotidiè adiungenda: quam & Phil.Mel. tum aliàs frequenter, tum ſub mortem vſurpauit.

OMnipotens æterne, viue & vere Deus, conditor cœli & terræ, & hominum, vnà cum Filio tuo coæterno Domino noſtro Ieſu Chriſto, crucifixo pro nobis & reſuſcitato, & Spiritu tuo ſancto, caſto, viuo & veraci, ſapiens, bone, miſericors, & iuſte Deus, liberrime, caſte & fidelis opitulator, dator vitæ & legis, qui dixiſti: Viuo ego, nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur, & viuat. Item: Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te: Confiteor tibi me miſerrimum peccatorem, multis peccatis obnoxium eſſe, & ſancta tua præcepta multipliciter violaſſe, ac doleo toto corde quòd offendi te, miſerere mei propter Filium tuum dilectum, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, pro nobis crucifixum, mortuum & reſuſcitatum, ac remitte mihi omnia mea peccata, & iuſtifica me per & propter IESVM CHRISTVM Filium tuum, λόγον καὶ εἰκόνα σοῦ ἀΐδιον, quem voluiſti pro nobis fieri victimam, mediatorem, redemtorem, liberatorem, & ſaluatorem, mirando & inenarrabili conſilio, & immenſa ſapientia & bonitate, & ſanctifica me Spiritu ſancto tuo, caſto & verace, vt te omnipotentem & verum Deum, conditorem cœli & terræ, & hominum, æternum Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Filium tuum Ieſum Chriſtum, verbum & imaginem tuam æternam, & Spiritum ſanctum, veracem, caſtum & viuum Paracletum, verè agnoſcam, tibi verè credam, obediam & gratias agam, te verè timeam & inuocem, & benigno tuo conſpectu in æternum fruar, tibiq; in æternum ſeruiam. In te Domine ſperaui, non confundar in æternum, in iuſtitia tua libera me. Conuerte me Domine ad iuſtitiam & vitam æternam, Redemiſti me Domine Deus veritatis. Protege ac rege clementer Eccleſiam noſtram ac politias & hanc ſcholam. Da eis pacem, piam & ſalutarem gubernationem, rege & defende noſtros Principes & Magiſtratus, collige & ſerua tibi æternam Eccleſiam in his regionibus, ſanctifica & copula eos Spiritu tuo ſancto, vt vnum ſint in te, in vera agnitione & inuocatione Filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti, per & propter Filium tuum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, pro nobis crucifixum, mortuum & reſuſcitatum.

OMnipotens, æterne Fili Dei, Domine Ieſu Chriſte, propiciator & ſaluator, verbum & imago æterni Patris, mortue pro nobis & reſuſcitate, toto pectore tibi gratias ago, quòd humanam naturam aſſumſiſti, & mihi Redemtor factus es, & quòd in carne paſſus es, & ex morte reſurrexiſti, ac intercedis pro me apud æternũ Patrem. Oro te, reſpice me & miſerere mei, quoniam vnicus & pauper ſum ego, adauge in me lucem fidei per Spiritum tuum ſanctum, & ſuſtenta me in infirmitate mea, rege, defende & ſanctifica me. In te DOMINE confido, non confundar in æternum.

OMnipotens Spiritus ſancte, verax, caſte & viue conſolator, illumina, rege, ſanctifica me, confirma fidem in anima mea & corde meo, effice in me certam conſolationem, ſuſtenta & guberna me, vt inhabitem in Domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, vt videam voluptatem Domini, & in æternum ſim & maneam ſanctum Dei templum, & Deo in omni æternitate gratias agam, & in æterna cœleſti Eccleſia & congregatione eum celebrem & laudem, Amen.

ALIA INVOCATIONIS FORMVLA.

OMnipotens, immortalis, æterne Deus, viuens & regnans ſine initio & fine, pater Domini noſtri Ieſu Chriſti: Qui declaraſti te nobis benignitate immenſa, & locutus es de filio tuo Domino noſtro Ieſu Chriſto: Hic eſt filius meus dilectus, ipſum audite, factor & creator vniuerſorum, ſaluatorq́; & protector, vnà cum coæterno filio Domino noſtro Ieſu Chriſto. Qui declaratus eſt & cognitus Hieroſolymis, & tecũ regnat ſemper, vnà cum Spiritu ſancto effuſo in Apoſtolos: Sapiens, miſericors, liber, iuſtus, fortis, ſanctus. Qui dixiſti: Viuo ego, Ego Adonai Dominus, non volo mortem peccatoris, ſed conuerti impium à Via ſua et ipſum viuere. Et rurſum: Non volo mortem impij, ſed vt auertatur à via ſua mala. Et rurſum: Inuoca me in die afflictionis, et eripiam te, & glorificabis me: Oro te, qui vnus es verus Deus, miſerere mei, propitius redditus propter filium tuum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Quem benigna voluntate tua feciſti victimam & hoſtiam pro peccatis, & mediatorem atq; interceſſorem ſolum: Sanctifica, guberna, dirige manu tua, emenda omnes vires animæ & illumina cor meum accendens in hoc ignem intelligentiæ, per Spiritum tuum ſanctum, vt eluceat

eluceat in me cognitio tui vera, & fiducia in te, cum inuocatione continua, & fide infracta, & intenta gratiarum actione, cum obedientia non diſceptante ſeu dubitante, et non ſimulata humilitate. Præſes ſis, protegens & potentem manum tuam extendens ſupra Eccleſiam tuam ſemper, ſecundum promiſſionem, quam dixiſti: Iſtud eis teſtamentum ſeu pactum: ſpiritus meus qui eſt ſuper te, & verba, quæ dedi in os tuum, nunquam deficient ex ore tuo, & ex ore ſeminis tui: Facito vt luceat ſemper lux Euangelij in nobis. Corrobora nos in veritate docens & cuſtodiens ſinceram mentem noſtram, & animam totam, ne elidamur vnquam veluti in Syrtes quaſdam dementiæ Epicureæ, aut alias quaſcunq; furioſas opiniones & abſurdas nugas. Doctrinam autem communem in Eccleſia conſerua puram & illabefactatam, & protege ſtatus publicos qui conciliant hoſpitia in terra Eccleſiaſticus cœtibus. Reſiſte aduerſarijs ſemper, pro miſeris nobis tuis ouiculis pugnans cum lupis & leonibus inſidiantibus ſaluti noſtræ, fugato & auertito ſpiritus omnes immundos, mandaces, homicidas, impios, contrarios Chriſto, & hoſtes Dei, neq; patiaris nos vnquam rapi ex manibus Chriſti tui.

O CHRISTE IESV filij Dei viuentis, Deus verus, verbum & imago æterni patris, & reſplendentia gloriæ ipſius, qui homo factus es pro nobis, & paſſus carne, crucifixus, & viuificatus ſpiritu, qui reſurrexiſti & aſſumtus in cœlum regnas vnà cum patre omnipotente ſedens è dextris ipſius, vt des dona hominibus, intercedas, quæſo, pro nobis, & medium te ſemper interponas ad patrem. Qui dixiſti: Venite ad me omnes laborantes & onerati, & quietem vobis tribuam. Etiam intercedas pro me ad patrem tuum, & ſanctifices me ſpiritu ſancto tuo, quem miſiſti, quemadmodum promiſeras, paracletum & tutorem, cum ipſe nihilo minus præſtò ſis & cuſtodias tuos, ſecundum id quod dictum eſt: Non dimittam vos orbos? Miſerere mei ſemper pro me intercedens. Dirige me ductor itineris, & largitor integritatis, per ſanctum Spiritum tuum, & propulſa omnem impreſſionem diabolicam, quæ per impiã mendaciloquiũ & vanæ mentis loquacitatem impellit nos, vt allidamur ad impuritatem & contaminationem ſanguinis, & alienemur in peruerſitate à ſola ſaluifica veritate tua. Spirituum enim iſta ſunt opera amantium mendacia, & fraudulentorum, & impura petulantia cædibuſque gaudentium, qui incolæ ſunt tenebrarum atq; caliginis. Tu vero, ô CHRISTE, fili Dei, veniſti vt ſolueres opera ipſorum.

O Paraclete Spiritus ſancte Deus, quem credimus in Apoſtolos diuinitús eſſe

tus eſſe effuſum manifeſta ſpecie, & promiſſum ſcimus Eccleſiæ à Chriſto ſaluatore filio Dei, ad accendendam in ipſa ardentem inuocationem eius qui verè eſt Deus, & illuſtrem cognitionem veritatis, ſecundum hoc quod ſcriptum eſt: Effundam ſupra domum Dauidis Spiritum gratiæ & miſerationum, & ſecundum teſtificationem beati Pauli: Quòd Deus effuderit ſanctum Spiritum in nos opulentè per Ieſum Chriſtum ſaluatorem noſtrum. Excita, quæſo, in cordibus noſtris fidem firmam & efficacem, & ſenſum exquiſitum miſericordiæ, quam nobis Deus pater æternus promiſit per filium ſuum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Fias etiam nobis paracletus & aduocatus bonus in omnibus cogitationibus & actionibus, adiuuans nos & eripiens ex periculis, in quæ incidimus in hoc mundo. Moueto & corda noſtra potentia gratiæ tuæ, vt debitæ obedientiæ ſtudio æternam patrem, & filium ſaluatorem, & te ſanctum Spiritum paracletum colentes veneremur, vnum ſolum, omni veneratione colendum & adorandum Deum, Amen.

ALIA EIVSDEM,
PRO DEFENSIONE ADVERSVS INſidias & tyrannidem Diaboli.



O CHRISTE IESV Saluator generis humani, tuere nos, cuſtodiens & prouidens, ne quando abſtrahamur abs te correpti à Diabolo, & deferamur

feramur in abyſſum impietatis, animum aduertendo ad mendaciloquia, aut polluendo nos quibuſ.unq; ſceleribus, aut impuris facinoribus. Illumina corda noſtra, & dirige mentes, ne vnquam euertamur, ſiue decepti opinione, ſeu lapſi infirmitate. Tu noſti quanta ſit imbecillitas naturæ noſtræ, ſis igitur ſupplex pro nobis ad æternum Deum patrem, placatum ipſum interceßione tua, vt gubernetur diuinitus mens & omnes vires animæ noſtræ, in laudabili animi ſententia rectè beneq; & vtiliter conſulamus de omnibus publicè & priuatim. Adde & robur cordibus noſtris, vt valeant ſequi ſancta mandata tua, & obedire ſalutari verbo tuo, vt permaneamus ij, qui non ſint iræ, ſed miſericordiæ vaſa, ad gloriam Dei & vtilitatem Eccleſiæ tuæ. Libera nos à Diabolica tyrannide, & ex captiuitate peccatorum, & ex omnibus malis ac miſerijs, & quæcúnque cauſas dant ſolicitudinis huius vitæ, & ex ſcandalis publicè priuatimq; orientibus, vt liberati iſta vitæ degendæ infelicitate atque prauitate, aſſequamur Gratiæ tuæ diuinum donum: Sapientiam, iuſtitiam, & ſanctificationem, & tandem hæreditatem adipiſcamur beatam vitæ ſempiternæ, aſſumpti in conclauia ſeu manſiones cœleſtes ad te, vbi viuamus ſemper in gaudio ſuperante omnem ſenſum in terris hominum, vnà cum ſanctis vniuerſis, apud patrem æternum, & te coæternum filium, Dominum noſtrum, & Sanctum Spiritum: cui vni ſoli, æterno, immortali, forti, miſericordi Deo, honor, gloria, potentia, robur ſit in ſæcula ſæculorum, Amen.

PRO CONSERVATIONE ECCLESIAE, Status Politici & Oeconomici.

O AEterne Deus, propter dilectũ Filium tuum, & vt innoteſcat & illuſtretur gloria tua, recordare immenſæ miſericordiæ tuæ in ira iuſtiſſima, Serua nos cũ Eccleſia & in Eccleſia tua, nõ ferias terrã Anathemate, nõ ſinas fieri infinitã vaſtitatẽ, aut Turcicã & Cyclopicam barbariem in his regionibus, ſerua tu bonum regimen politicum, ſalutarem ſtatũ Eccleſiæ, publicæ diſciplinæ ſanctitatem, protege familiolas noſtras, fac eas vaſa miſericordiæ, da eis victum, ſucceſſus in officijs vocationum, & cætera bona corpori neceſſaria.

PRO MITIGATIONE POENArum. Philip. Melanth.

AEterne Deus, Pater Domini & liberatoris noſtri Ieſu Chriſti, clementer mitiges ac lenias miſerias & ærumnas propter meritum & interceſſionem filij tui, & parcas immenſa bonitate tenello gregi puerorum & puellarum, vt in familiolis noſtris conſeruetur ac propagetur doctrina cœleſtis. o bone, miſericors, benefice Deus, miſerere noſtri propter Filium, & da victum ac panem cotidianum tenello gregi noſtrorum liberorum.

VT SERVEMVR IN PVRITATE doctrinæ cœleſtis.

DOmine Ieſu Chriſte, fili Dauid, miſerere noſtri, remitte nobis peccata, & adſis nobis, effũde in nobis Spi. tuũ ſanctũ, Rege & ſerua Eccleſiã tuã, protege nos & infantulos noſtros, ne in furores Ethnicos, Epicureos aut fanaticos ruamus, ſerua & defende hoſpitia Eccleſiæ, ne barbaricis furoribus vaſtentur & turbentur omnia, tu ſis protector & adiutor noſter. Accende ac confirma in nobis lucem tuam, vt doctrinam ſalutarem rectè diſcamus, intelligamus, & in exercitijs veræ pietatis ſemper colamus, Amen.

PRECATIO ADOLESCENTVM, QVI in ſtudijs doctrinarum verſantur.

TE Viuum & Omnipotentem Deum, æternum Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, conditorem vniuerſæ creaturæ, & conſeruatorem cum filio tuo Domino noſtro Ieſu Chriſto, & Spiritu ſancto inuocamus: Miſerere noſtri propter Filium tuum dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, quem pro nobis victimam fieri voluiſti, & Mediatorem pro nobis inſtituiſti, mirando & inenarrabili conſilio, vt iram tuam veram aduerſus peccata generis humani, & immenſam miſericordiam tuam erga nos declarares, Sanctifica ac rege nos Spiritu ſancto tuo, collige, rege, & ſerua tibi Eccleſiam, rege Politias, Da nobis victum, pacem, bona & felicia conſilia negotiorum, conſerua parentes noſtros, & procuratores noſtros, in veræ pietate, & longæua incolumitate. Confer nobis ſtudiorum ſalutaria incrementa, vt in gloriam nominis tui parentibus noſtris honori fiamus, atq; Eccleſiæ tuæ & Reipublicæ

vtiliter quandoq; ſeruire valeamus, Per Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum, Amen.

ALIA, PVERORVM DISCENTIVM.

GRatias agimus tibi æterne fili Dei Ieſu Chriſte, quòd nos ad ſocietatem veræ doctrinæ & Eccleſiæ tuæ vocaueris: quódq; ex ore lactentium & infantium laudem tuam perficere digneris. Velis tu nos facere vaſa & organa miſericordiæ tuæ, & non iræ: Vt aliqua à nobis tibi grata fiant. Vtq; ad ſanctiſsimæ pueritiæ tuæ exemplum, ætate, ſapientia & gratia apud Deum & homines proficiamus: AMEN.

FORMA

CONFITENDI ET PRECANDI GEneralis, à Phil. tradita in Chronicis.

OMnipotens, æterne, viue & vere Deus, æterne, & vnice pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui vnà cum filio tuo coæterno Ieſu Chriſto et Spiritu tuo ſancto creaſti cœlum et terram, & homines, et alias creaturas, ſapiens, bone, verax, caſte, iuſte, iudex, liberrime & miſericors, diligens & exaudiens nos, qui dixiſti, Viuo ego dicit Dominus, Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur et viuat, Confiteor tibi me miſerum peccatorem eſſe, & doleo quod offendi te, ac ſupplex oro, vt miſerearis mei, remittas mihi omnia peccata mea, & me iuſtifices, & ſalues per & propter filium tuum Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM, *quem voluiſti pro nobis eſſe victimam,* ϗ μεσίτην ϗ ἱκέτην, *miranda ſapientia & immenſa bonitate, & ſanctifica me Spiritu tuo ſancto, viuo, caſto & veraci, Collige inter nos Eccleſiam, & eam guberna, Da Eccleſiæ politias honeſtas et tranquillas, da nobis victum, vires corporis, rege ſtudia doctrinarum, fac me vas miſericordiæ, nec ſim vas iræ. Mitiga pœnas publicas & priuatas propter filium tuum Dominum noſtrum* IESVM CHRISTVM πρεσβεύοντα ὑπὲρ ἡμῶν, *& propter tuam gloriam, vt te in tota æternitate celebremus, & tibi gratias agamus, Amen. Credo* DOMINE, *opem fer imbecillitati meæ. Sicut dixit Dominus noſter* IESVS CHRISTVS: *petite & accipietis.*

LOCORVM ALIQVOT SCRIpturæ ſacræ illuſtrium paraphraſis Philippica.

INDEX.

GENES. 1.	SPiritus Domini FOVEBAT aquas. fol.	1
2	Hæc nunc os ex oſsibus meis	122
15	Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam.	43
32	Minor ſum Domine cunctis miſerationibus tuis, & veritate tua.	23
47	Dies peregrationis meæ pauci & mali.	100
49	Non auferetur Sceptrum de Iuda, & dux de fœmore eius donec veniat SILOH.	15
Exodi 3.	Ego SVM qui SVM.	17
1. Paral. 17.	Aſpexiſti me in forma hominis, qui es in excelſis IEHOVA DEVS.	14
2. Paral. 20.	Cùm neſcimus quid agẽdum ſit, oculi noſtri ad te Deus attolluntur.	19
Pſal. 39.	Quàm nihil niſi vanitas omnis homo.	101
46	Non timebimus etſi turbabitur terra, & ruant mentes in medium mare.	39
51.	Expiabis me Domine hyſſopo.	7
127.	Niſi Dominus ædificauerit domum.	105
133.	Ecce quàm bonum.	117
Eſaiæ 49.	Nunquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſuis;	90
Zachar. 12.	Effundam ſuper domum Dauid ſpiritum gratiæ & precum.	2

MARCI 9. Credo Domine, opem fer incredulitati meæ. 6
Ioh. 3. Non poteſt ſibi homo ſumere quicquam, niſi datum ſit ei à Deo. 149
17. Sit dilectio tua in eis, qua me diligis, & ego in eis. 8

FORMVLARVM INVOCAtionis piæ, Index.

PRo Agnitione Dei & dono Spiritus S. precatio. 1
Pro Angelorum miniſterio gratiarum actio. 32
Pro Beneficijs Dei in nos cotidianis, grat. 23
Ante Cibum prec. 24
A cibo ſumto. 25.26
Cubitum euntis. 28.& inde
Cananææ matris prec. 7
DECALOGI meditatio & formula confitendi generalis. 190
Vt Dilectio Dei in nobis maneat. 8.
Pro ECCLESIAE conſeruatione & puritatis doctrinæ, precatio. 5
Eccleſiæ vagientis prec. 18
Contra Eccleſiæ hoſtes prec. 10
Pro Eccleſiæ & ſcholarum hoſpitijs. ibid.
Εὐλογία ἱερατική. 29
Pro Fidei incremento. 6
Gratiarum actionis formula ad Trinitatem. 177.& inde.
Incarnationis filij Dei meditatio. 13.14.15.16.& inde.
Ingredientis templum prec. 27

INVOCATIONIS forma ad Trinitatem. 9
Ex Ludo reuertentis, prec. 27
In Morbis & calamitatibus prec. 21
Mortis & paſsionis filij Dei meditatio. 179
Pro Nauiculæ Chriſti gubernatione. 11. & inde.
ORATIONIS Dominicæ meditatio & paraphraſis. fol. 30.163.167.
in Periculis & difficultatibus. 19
pro Pœnarum mitigatione. 183
in Profectionibus & negotijs. 22
pro Remiſsione peccatorum. 7
pro Studiorum gubernatione, ſucceſſu & fructu. 3.27. & inde.
Pro Vitæ totius gubernatione. 24.39. & 40
Vt vnum ſimus in Chriſto. 9

ALLEGORIAE, SIMILIA ET Imagines venuſtæ Epigrammatis à Philippo expreſſæ.

AMphionis & Orphei Muſicorum excellentiſs. ad Dauidem. 134
Animalium quatuor in Daniele: ad Monarchias ſeu ſumma imperia. 62. & inde.
Cananææ matris: ad Eccleſiam horum temporum. 7
Chriſtophori: ad quemlibet pium. 148. & inde.
Coloſsi ſeu ſtatuæ ex Daniele: ad Monarchias. 62. & ſeq.
Conſecrationis victimarum per impoſitionem manuum: ad Filium Deum Summum Sacerdotem & victimam: tùm etiam ad miniſtros Verbi Dei omnes. 52

Cuculi

Cuculi deuorãtis nutricem currucam ſeu Hypolaidem: ad alumnos ingratos & perfidos. 152
Embryi ſeu fœtus nondum editi: ad genus humanum non renatum. 15.16
Fili Ariadnes: ad Dialecticam. 129.& inde.
Halcyoniorum: ad Eccleſiam. 80
Imago Iuſtiniani Imperatoris, declaratur. 109
Lazari: ad quemlibet pium. 21
Moſis abditi in cauerna rupis, videntiſq; poſteriora Dei prætereuntis: ad Eccleſiam. 41
Moſis remittentis inter precãdum manus: ad Eccleſiam & intermiſsionem precum. 43
Nauiculæ: ad Eccleſiam. 18
Niduli & pullorum: ad Eccleſiam.
Pardalis: ad Alexandrum Magnum. 65.& inde.
Præſepiorum Chriſti: ad Eccl. 90
Pharaonis: ad Tyrannos & perſecutores Eccle. 48.& ſeq.
De eo, quòd Paſtoribus annũciarint primùm Angeli natum Chriſtum. 98
Sagittæ ſeu iaculi: ad impetus heroicos & ſucceſſus, qui præſtantibus viris dantur diuinitus. 108
Sanguinis Martyrum & Seminis: ad Chriſtum. 61
Sculpturæ & imaginum Sicli: ad officia docentium. 97
Secundarum ſeu Chorij: ad filium Dei in cruce pendentem. 15.& inde.
Speculi impoliti: ad rude & literis nõ excultũ ingeniũ. 127
Statuæ mutilatæ capite: ad eum cui ad reliquas virtutes deeſt pudicitia. 120
ϛοϱγῶν: ad φιλανθϱωπίαν Dei. *124 127*
Trium puerorum in fornace ardenti: ad cõſeruationem Eccleſiæ. 5.

RERVM

RERVM RELIQVARVM MEMORABILIUM Index.

A.

ABel. fol. 54
Abſolonis in patrẽ impietas & exitus. 44
in Alexandrum magnum. 65
Amicitia cũ paribus iungenda. 147
Angelorum miniſterium. 33
Animarum piarum querela de Tyrannis. 37
Arithmetica. 131
Artium bonarum inter ſe, veluti herbarum in medicinis, ſocietas & temperatio. 129
Aſtra inclinant, non neceſsitant. 137
de Aſtris. 139
in Aſtronomicas hypotheſes. 138
Atrocia delicta atrocibus pœnis puniri. 150. 151

B.

BEllerophon accipit à Pallade frenum aureum regendo Pegaſo 110
Bellorum finis. ibi.
in Bibliorum Germanicam verſionem Lutheri. 136

C

CAlumnia. 153
Caroli V. prudens contatio, & in victorijs moderatio. 86
Caſtitas. 118
Clementia & placabilitas. 153
Chriſto triumphatori. 59
Chriſtophori imago. 148
in confeſsionem Auguſtanam. 137
de Coniugio. 121
Concordia. 116
de Cometis. 140
Commentarij optimi pſalmorum lectio & inuocatio. 136
Conſecratio victimarum per impoſitionem manuum. 52
Conſolatio vera in obitu piorum hominum. 102
in Crapulam & ebrietatem. 124
cuculus deuorat nutricem currucam. 152
Cupido κηριοκλέπτης. 155

D.

DAnielis ſocij in fornacem coniecti. 5
Dialecticæ elogium. 129
Doctorũ Eccleſiæ officium. 50. 96. 98
Doctrinæ cœleſtis ſtudium. 133
Doctores linguam ſuam Deo commodant. 99

E.

ECcleſia mater & patria filiorum Dei. 85
Eccleſia in terris cum Chriſto ſuo exulat.

xulat. 88
Eccleſia inter confuſiones imperiorum durabit. 89
Eccleſia non regitur humanis conſilijs. 88
Eccleſiæ Sol & viuificator filius Dei. 81
Eccleſiæ hoſpitia & halcyonia. 185
Eccleſiæ ciuem eſſe ſummum decus. 86
Eſaiæ exitus & martyrium. 55
inter Euentus & exitum diſtingui oportere. 152
ἐυθανασία. 103

F.

DE Fide iuſtificante. 93
Fidei vacillantis exemplum. 42
Filius Dei lapis abſciſſus ex monte. 64
Filius Dei λόγος ſemper adfuit patribus. 92
ad Fortitudinem adhortatio Tirtæi. 111
Franciſcus rex Galliæ captus ad Ticinum. 69
de Friderico Sapiente electore. 70
Fridericus rex Daniæ. 83

G.

GErmaniæ limites. 68
Guſtus vitæ et gloriæ æternæ. 39

H.

HElice & Bura ciuitates ſubmerſæ. 67
Henricus Sudphanienſis à Ditmarſijs martyrio affectus. 59
Heroes præſtantiſſimi in ipſo ætatis flore ſucciſi, vt Achilles, Pirrhus, Alexander Magnus, Carolus Burgundus, Mauricius. 71
Hiſtoriarum ſtudium. 131
Hiſtoriæ ſuppeditant exempla iuſtitiæ diuinæ. ibi.
Homo imago & templum Dei. 143
Hominis & humanæ ſocietatis finis. 107. 143
Hominum tres gradus. 146

I.

IEhoua. 18
Ignorantiæ tres cauſæ. 128
Impoſitionis manuum ritus & ſignificatio. 52
Incarnationis Filij Dei meditatio. 13. 14. 15. 16. 17
Ingenium ſine doctrina. 127
Infelix felicitas. 147
Inſtitutio recta. 127
Innocentia optimum aduerſus inuidentiam remedium. 116
In ingratos & perfidos. 152
contra Intermiſſionem inuocationis. 43
Iohannes Baptiſta. 34
Iohannes Baptiſta præcipuas doctrinæ Chriſtæ ian partes complexus eſt. 57
de Iohanne Friderico Conſtante electore. 70

Iohannes Eccius ſophiſta. 72
in Iulianum Apoſtatam. 50
Iuſtiniani Imperatoris imago. 109

L

Leges humanæ & reuerentia legum. 113
Lex Dei. ibi.
Lex talionis. 114
Leporum ad leones concio. 61
in Liberos degeneres. ibi.
in Liberos frugi & laudatos. 154
Loquendum præmeditatè. 131
in Locos communes Philippi. 136
in Luxum & profuſiones. 125.

M.

Mariæ & Eliʒabethæ cõgreſſus. 36
Maria & Marhta 82
de Mar: Luthero. 72.73
de Mauricio duce Saxoniæ electore. 71
Mediocritas & ſancta ἀυλαρκέια. 120
Metallicæ Venæ. 26
Monarchiarum imagines. 62
Mors Chriſti vita piorum. 104
Moſes feriens petram & dubitans. 42.
orans. 43
Videns poſteriora Dei. 41
Muſarum exilia & migrationes. 80

N.

Nauicula Chriſti. 11.12
Neceſſaria facienda. 147

O.

Occaſio donum Dei. 21
in Ocium & deſidiam. 146
in Ouidium. 129

P.

Parientium & prœliantium collatio. 123
in Pharaonem. 48
Patientia. 155.95
Pauli Apoſtoli eloquentia. 133
in Paulum Apoſtolum. 58
Pauſaniæ facinus & exitus. 124
de Philippi Melanthonis vita, ſtudijs, laboribus, periculis & morte. 74
Piorum mors Tyrannorum bellaria. 57
Poetæ legendi & imitandi 128
Poeticos impetus à Deo eſſe. 128
Publica mala fiunt priuata ſingulorum. 112
Pueri magna pars Eccleſiæ. 126
Pudicitia. 119
Puerorum inuitatio ad ſcholas. 126
Præmia rectè docentium. 61
de Prodigijs. 67
Præſepe Chriſti. 16. & inde
Prophetarum officij tres partes. 95

Primitiarum & decimarum vſus. 33
Pſalmorũ lectio frequentanda. 134
Pſalmorum tria genere. 135

Q.

Quod non capit Chriſtus, rapit fiſcus. 115

R.

Ranarum & murium pugna. 112
Regulæ vitæ. 141. & inde
Regna à Deo dantur & auferuntur. 49. 50
pro Remiſſione peccatorum. 17
in Roſas pictas. 125

S.

Sanguis martyrum ſemen Chriſtianorum. 61
de Sedulitate et iuſtitia. 145
Sibaris à crotoniatis deleta funditus. 68
de Siclo. 97
Statua Iunonis Sibaritica vomens Cruorem. 67
ϛοργή. 127
Sacerdotum leuiticorũ officia tria. 98
Sarepta. 52
in Saulem regem. 47
Simſonis exitus. 46. & inde
Sulphur & hydrargirus prima ſemina metallorum. 26.
Synodus prima noui teſtamenti. 35. & inde.
Spiritus S. efficax per Verbum. 2
Spiritus S. accendit motus legi Dei congruentes, & tales qualis ipſe eſt. ibid.
in Stephanum. 58. & inde
Sophiſticæ peruerſitatis deteſtatio. 100
Spes. 155

T.

Thebæ Bœoticæ. 66
Thebæ AEgyptiacæ. ibid.
Terentij elogium. 129

V.

Veritatis inuicta vis. 154
Vir bonus publicum bonum. 108
Vita hominum labor & dolor. 100 & inde.
in Vitam alicam. 116
Vulgus regitur exemplis eorum qui præſunt. 113

FINIS.

IMPRESSVM FRANCOFORTI AD
Mœnum, apud Iohannem Feyrabendt, impen-
ſis Sigiſmundi Feyrabendt.



M. D. LXXXIII.

EMBLEMATA NICOLAI REVSNERI IC. PARTIM ETHICA, ET PHYSICA: PARTIM

verò Hiſtorica, & Hieroglyphica, ſed ad virtutis, morumq́; doctrinam omnia ingenioſè traducta: & in quatuor libros digeſta, cum Symbolis & inſcriptionibus illuſtrium & clarorum virorum.

QVIBVS AGALMATVM, SIVE EMblematum ſacrorum Liber vnus ſuperadditus.

EX RECENSIONE

Ieremiæ Reuſneri Leorini.

15 FRANCOFORTI. 81.

AD LIBRVM.

DE D. IOANNE FICHARDO IVRISCONSVLTO, V. CL.

QVid tantum, Liber, ire concupiſcis
Foras? nec metuis malignorum
Ronchos, nec mala probra Zoilorum?
Aut vulgi inuiduli allatrationes?
Quòd vilem citò raptus in tabernam,
Oliuas madida teges papyro:
Aut thuri, piperiq́; quòd cucullos,
Aut ſcombris tunicas dabis moleſtas:
Ni vindex tibi ſit bonus paratus,
Cuius auribus Atticis proberis.
Quæris, quis? tibi magnus ille vindex
Sit doctus, moneo, Fichardus: vſquam
Quo nil candidius, benigniusq́;,
Aut exactius eſt, politiusq́;.
Cui ſi quis placet, omnibus placebit:
Illo vindice, Zoilus quieſcet.

AD

AD ILLVSTREM, ET GENEROSVM DOMINVM, DOMINVM ADAMVM A DIETRICHSTEIN, BARONEM AD Hollenburg, & Finckenſtein, &c. Sacratiſſimi Imperatorij Palatij præfectum, & Conſiliarium S. Cæſ. Maieſt. intimum, &c.

Jeremiæ Reuſneri Leorini Præfatio.

DVO SVNT vincula ſocietatis humanæ: ratio nimirum, & oratio. Quarum illa eſt mentis quaſi lux quædã, lumenq́; vitæ: hæc verò interpres, indexq́; rationis, & morum in animo reconditorum veluti effigies quædam, & ſimulacrum: vtráque autem benè adhibita, fit perfecta virtus: quæ nominatur ritè ſapientia: quæ vna eſt cuſtos hominis, & procreatrix, rerumq́; omnium in vita moderatrix: qua nihil à Deo immortali vberius, aut præſtabilius hominum generi datum eſt. Sed inſtrumenta

quidem rationis, orationisq́; perficiendæ, & quaſi adoleſcendæ, nulla habemus alia meliora, quàm vitæ, morumq́; præcepta ſalutaria, & exempla: quæ non ſolùm animos hominum concitant cohortatione ſua ad ſtudium cognoſcendæ, percipiendæq́; virtutis: quæ ſumma eſt ſapientia: verùm etiam lumina orationis, & velut oculi ſunt quidam eloquentiæ: cuius ſanè rei magnæ, & glorioſę, quantulumcunque poſſederis, fuiſſe participem, non minima laus putanda eſt. Quo in genere cùm alij excelluerunt Philoſophi, & oratores: tum verò maximè Poëtæ omnium temporum: qui non modò aliorum ſapienter dicta, ſed & rectè facta quàm plurima literarũ monimentis prodiderunt: quæ à primis ſtatim annis cognoſcerent adoleſcentes, vt ijs aliquando viri iam facti vterentur in conſultatione, ac deliberatione rerum maximarum: quod Aeſchines monet in oratione ſua contra Cteſiphontem. Ex quo non immeritò Poëſin nominat Strabo

primam

primam Philoſophiam, ſolamq́; ſapientiam: quæ vitæ ſit dux quędam, & magiſtra morum: & virtutis indagatrix, expultrixq́; vitiorum: omniumq́; actionum, & affectionum moderatrix: cuius doctrinæ tantò maior ſit commendatio, quãtò ea maiore cum voluptate, & ſuauitate coniuncta eſt: in quo non minima eius laus poſita eſſe videtur. Scitum enim Horatianum illud eſt:

Aut prodeſſe volunt, aut delectare poëtæ:
Aut ſimul & iucunda, & idonea dicere vitæ.
Omne tulit punctum, qui miſcuit vtile dulci;
Lectorem delectando, pariterq́ monendo.

Sic Socrates diſſidium illud mentis, lingueque vehementiſſimè execrabatur. Neque illud profectò iniuria. Nam vt Muſica eò magis placet, quo dulcior eſt, & ſuauior: ſic oratio eò maiorem vim habet ad animos hominum retinendos, quò conditior eſt lepore, & feſtiuitate quadam, voluptateq́; amœnior. Præclarè ergo idem Horatius:

Non ſatis eſt pulcra eſſe Poëmata: dulcia ſunto:
Et quocunq; volunt, animum auditoris agunto.

Verùm enimuerò haud ſcio, an quicquam ad voluptatem, & delectationem animorum conciliandam aptius ſit, aut accomodatius: quàm pictura cum Poëſi coniuncta: quarum artium mutua quędam, & naturalis eſt cognatio, atque conſpiratio; quæ duo prįcipuos ſenſus in homines mirificè capiunt, atq; afficiunt. Nam vt oculi pictura, ita aures tenentur cantibus; vereq; dici poteſt, Poëſin eſſe picturam loquentem; picturam autem mutam poëſin.

Ex hoc genere ſunt Emblemata; in quibus, præter rerum maximarum ſymbola, & argumenta, artes illæ duæ germanæ quodammodò, & cognatæ, mirabili quodam nexu inter ſe colligatæ, copulatæq; ſunt: pictura nimirũ, & poëſis; quarum vna interpretatur alteram: & cum ſingulari quadam voluptate, optimam & viuendi, & dicendi rationem demonſtrat. Siquidem in his ſunt, præter egregia vitæ, mo-

rumq;

rumq́; præcepta, & exempla, vt Lucilius ait,

Tam lepidè lexes compoſtæ, vt teſſerulæ omnes
Arte, pauimento, atq; emblemate vermiculato.

Quare nemini mirum videri debet: tot præſtantes, ac eruditos viros omnibus ætatibus hoc ſcribendi genere tantopere fuiſſe delectatos; in quorum numero ſunt And. Alciatus, P. Coſtalius, B. Anulus, Achil. Bochius, Cl. Paradinus, Th. Beza, Ioan. Sambucus, Adr. Iunius, & alij nonnulli: quorum præclara ingenij monimenta mandata literis exſtant, ad memoriam poſteritatis ſempiternam. Fuit verò horum ſtudiorum non infelix, vt ego arbitror, aut imperitus imitator, atque æmulus Nicolaus Reuſnerus Iureconſultus; frater meus Germanus: qui inter alia infinita opera ſua, in omni genere doctrinæ hactenus elaborata: libros aliquot Emblematum compoſuit: idq́; horis ſucciſiuis potiſſimùm: vt & ocium ſuum literarium, quum à negocio vacaret, rectè collocaret; & ſtudia ſua grauiora hoc veluti condimento

dimento temperaret. Quanquam autem nolo de his arroganter quicquam pronunciare: neq; etiam diſputare volo: vtrũ Emblematum nomine cenſeri omnia debeant; quæ ex Poëmatis ipſius (quorum libri XXIIX. in lucem Baſileę nunc prodeunt) in hunc ordinem à me ſic digeſta ſunt: tamen pleráque ſatis concinna, & feſtiua, omniq́; lepore, ac venuſtate, & præſertim doctrinæ grauitate conferta: &, niſi fallor, luce, memoriaq́; digna eſſe ſpero, vel planè potiùs confido. Neque ego ſanè multum vereor aliorum obtrectationem, & inuidiam: cuius mores eſſe ait Martialis: præferat antiquos ſemper vt illa nouis. Nam, vt Naſo canit, ſcripta placent à morte ferè: quando ſcilicet inuidia ſupremo fine domatur, vt Flaccus monet. Quod verò ad nomina appoſita attinet: nemo hoc ambitioſè factum interpretetur: quippe quæ aut patronorũ, aut præceptorum, aut denique amicorum ſunt compellationes quædam, atque commonitiones: animi grati,

memo-

memoriſq; teſtes, atq; indices: pro maximis in ſe collatis meritis, atq; officijs. Cæterùm quoniam opus hoc Emblematum contra calumniantium iniurias inprimis ſartũ, tectumq; eſſe volo: viſum mihi eſt, Illuſtris, & Generoſe Baro, in eo tuam potiſſimùm auctoritatem compellare: ſub cuius auſpicio in publicum prodeat licentiùs. Nota eſt enim ſingularis, & eximia virtus tua, & dignitas: nota in patriam, & Rempub. Germanam caritas, ac fides: nota erga omnes homines, ac præſertim erga ſtudioſos literarum benignitas, atq; humanitas: nota deniq; in rebus magnis gerendis prudentia, & fortitudo: cum omnibus naturæ, & fortunæ bonis coniuncta. Quarum rerum maximarum, atq; pulcerrimarum vt egregia ſunt iacta fundamenta in animo tuo: ita præclara veſtigia, non preſſa leniter ad exigui prædicationem temporis; ſed fixa ad memoriam omnium ſempiternam, palàm exſtant quàm plurima in maioribus tuis: quorum gratam

adhuc, & ſuperſtitem in animis hominum recordationem nulla vnquam delebit obliuio. Accipe itaq;, Illuſtris Baro, librum hunc, qualemcunq; vides, æquo & benigno, vt ſoles, animo: & gratia, auctoritateq́; tua, quantum potes, tuere: & virtute, bonitateq́; tua, ad ſalutem hominum, & incolumitatem Reipublicæ, magna cum felicitate, & iucunditate quàm diutiſſimè perfruere. Viennæ Auſtriæ. Cal. Sextil.

M. D. XXC.

NICO-

NICOLAVS REVSNERVS, IEREMIAE REVSNERO, GERMANO SVO S. D.

QVOD toties à me contendis in literis tuis: vt mea tibi ſcripta mittam: & in his præcipuè Emblematum meorum publicandorum veniam tibi dari poſtulas: facis tu quidem amantur, vt debes: & nimium fortaſſis de me ſentis honorificè, quàm debes. Verùm nō parum ego vereor, quomodo hoc alij accipiant: ac immò potiùs vereor, ne in partem accipiant deteriorem: propterea quòd nimium amem, & admirer mea: quodq; confidam manare poëtica mella me ſolum, mihi pulcrum: vt Flacci verbis vtar.

Enimuerò non ignoro, verum eſſe, quod M. Tullius ſcribit: neminem vnquam aut oratorem, aut poëtam fuiſſe: qui ſibi non optimus videretur: & in hoc genere neſcio quo pacto magis, quàm in alijs, ſuum cuique pulcrum eſſe: adeoque ſibi vnumquenque eſſe ſolere: quod ſibi fuit olim Suffenus ille Catullianus, aut Meuius Horatianus: dum mala delectant ſua quenq;, aut deniq; fallant. Sed quoniam tamen ita te omnino velle intelligo: & quoniam ita tecum volunt alij: quorum ego iudicium prudens, & limatum, non agnoſco quidem, ſed veneror: age iam non repugno ampliùs

voluntati tuæ: & quod vis, & quod alios tecum velle video; libenter equidem concedo: ſed ea tamen lege, ac conditione: vt quam ego culpam vereor, tu ſine me ſolus præſtes: ſi quidem res aliter cedat, quàm tua fert opinio. Sin verò aſſequaris, quod vis: laudem ſcilicet, & commendationem hominum (Quanquam quæ magna eſſe laus, & commendatio poteſt tantilli laboris, & operis?) non modò in ſocietatem eius ſponte te admittam: ſed totam eſſe tuam, & propriam, quantacunq; fuerit, libenter patiar.

Tota igitur culpa, totaq́; laus, quæcunq; futura eſt, omnino futura eſt tua: ego me quicquid poſtea acciderit, extra omnem culpam, cauſamq́; pono. Sed amo tamen te ob ſtudium erga me tuum, & amorem fraternum: multoq́; magis ob ſpem de te conceptam induſtriæ, atq; virtutis in iuuanda olim, ornandaq́; Repub. Chriſtiana: quam, vt confido, non falles: & ne fallas, maiorem in modum te hortor, atq; oro. De libris in iure ciuili ſcriptis aliâs: nunc ſcribendi ocium non habeo. Vale, & Sambucum, Fabriciumq́;, ſingulares viros, meis verbis diligenter ſaluta. Prid. Non. Quinctil.

M. D. LXXIX.

AD CL.

AD CL. V. IOANNEM FICHARDVM IVRISCONSVLTVM, ET CONSILIARIVM Reip Francofortenſis.

Quod tanto ſtudio geris meas res:
Sigiſmundoq́ librario perito
Commendas teneros meos libellos:
Nec leui mihi pumice expolitos:
Prudentiſsime Iuris Anteceſſor,
Muſis care, & Apollini, FICHARDE:
Quodnam munus ego tibi viciſsim,
Quas grates cupiam referre, quæris?
Non aurum, nec opes tibi rependam:
Non quæ magna ſolet putare vulgus,
Quod poſſum, nitidiſsimis libellis
Intexam tibi gloriam perennem:
Quam nec ſera dies, nec annus vnquam,
Aut venti rabies, edax nec imber,
Nec conſumere ſors queat maligna:
Verſu nomen erit tuum perenne.

IN EMBLEMATA NICOLAI REVSNERI IVRISCONSVLTI EPIGRAMMATA.

Hieronymi VVolffij Oetingenſis.

ORnamenta domus Emblemata docta putantur:
Progeniem procerum, ſtemmata clara iuuant.
Arte Polycleti faſtoſa palatia gaudent:
Eſt & Apelleæ laus celebrata manus.
Hæc tibi Reuſnerus, Muſis, & Apolline dextro,
Dona dat in triplici conſpicienda libro.
Quid non ingenij felix induſtria præſtat?
Præmia pro meritis quæ ſatis ampla ferat?

EIVSDEM.

Εἰκόσι, καὶ γενεαῖς ἐμβλήματα καλὰ προσῆλθε:
Οἷς ἐπικοσμῆσαι δώματα λαμπρὰ, θέμις.
Ἔστι δὲ καὶ φρένας εὐφραίνειν πυκινοῖσιν ἐφετμαῖς:
Ὄμμασι, καὶ ψυχαῖς ἥδε γέγηθε βίβλος.
Ἀλλὰ σὺ, Νικόλεως Ῥεύσνηρε, τοσαῦτα μογήσας,
Δόξαν ἀείμνηστον σαῖς χαρίτεσσ' ἔπορες.
Εἰσὶ βροτῶν πολλοὶ μὲν ἀγνώμονες, ἠδ' ὑπερόπται:
Ἀλλὰ παρ' ὀψιγόνοις ἔσσεαι ἀθάνατος.

ID EST,

EPIGRAMMATA.

ID EST,

Interprete Joanne Ortelio.

PVlcra vides pulcris Emblemata iuncta figuris:
Quîs exornari ſplendida tecta decet.
Quæ dum præceptis argutis pectora formant:
Exhilarat mentes hic, oculosq́, liber.
Quem quia conſcribis multo, Reuſnere, labore;
Aeternam laudem Gratia magna dabit.
Sint licet ingrati multi, nimiumq́ ſuperbi:
Tu decus à grata poſteritate feres.

IOANNIS POSTHII MED. ET POE. LAVREATI.

Ad Joannem Fichardum Jureconſ. Poëtarum Mecœnatem. V. CL.

TE noua rumor ait Leorini Emblemata vatis
Clauſa tenere tua, magne Ficharde, domo.
Ne, rogo, ne longis patiare ſepulta tenebris
Illa iacere: moram tolle age, pande fores.
Et citò Chalcographam fac multiplicata per artem,
Eois fiant cognita, & Heſperijs.
Hoc ego te, mecum hoc culti, tua cura, Poëtæ,
Hoc Muſæ, & Charites, Phœbus & ipſe rogant.

PAV-

EPIGRAMMATA.

PAVLI MELISSI SCHEDII FRANCI, P. L.

VErmiculata recens ſculptis Emblemata ſolers
In medium profers, ô Leorine, typis;
Quæq́; viri geſtant clari conformia rebus;
Symbola non vanis pingis imaginibus.
Quàm mea mens operis quodcunq; eſt cernere geſtit,
Quàm legere id pæti carmen auent oculi.
Nam dum perpendo mecum, quæ, qualia, quót ve
In lucem edideris ſcripta diſerta priùs:
Ars, labor, ingenium non abfore iam modo natis
Creditur: vt verè dicere Muſa queat:
Ars grauis artifices, induſtria naua laborem,
At labor exercet ſtrenuus ingenium.

Patauij v. Eid. Ian.
M. D. XXC.

NICODEMI FRISCHLINI ALEMANI, POETAE ET Com. Pal. Cæſ.

VT pictor varijs ornata coloribus ora
Circumdat violis, textilibusq́; roſis,
Aut alio decorat pictos emblemate vultus,
Luceat vt gemmis cincta figura ſuis:

Sic etiam

Sic etiam docta præſtantes arte poëtæ;
Illuſtrant varijs carmina culta modis.
Ne quid inornati ſapiens oratio prodat:
Vocibus apta ſuis, ſenſibus apta ſuis.
Quiſquis es, & vocum variato emblemate gaudes
Pingere ſermonis verba miniſtra tui:
Hunc cape mirifica decoratum ex arte libellum:
Auſpice Reuſnero quem tibi Muſa dedit.

HENRICI PORSCHII, V. CL.

AVdijt arte ſacras Reuſnerum pandere leges:
Et penetraſſe fori myſtica iura Themis:
Audijt & Pallas doctos hunc pangere verſus:
Et ſtudio ſummis vatibus eſſe parem.
Lis agitata deas inter ſine iudice pendet:
Illa ſuum dicit, dicit & iſta ſuum.
Quum Phœbus: Tu Pallas (ait) prognata Themiſte,
Reuſnero es mater, mater & ipſa Themis.
Hinc ego vota probans: Nempe eſt excellere in arte
Alterutra magnum, maius vtraq; decus.

Ex Conſtantinopoli, quæ eſt
noua Roma, in Thracia.
Kal. April. M.D.XXC.

IOANNIS ORTELII CYGNOCOMAEI.

SI rerum ſenſus, moresq́; Emblemata produnt:
Pulcrius hoc libro quæſo quid eſſe poteſt?
Fallor? an hunc latebris naturæ prodidit imis
Hermes? an hoc genius doctus acumen habet?
Nam dubium, monſtrétne libro natura figuras?
An hoc naturæ conferat ipſe liber?
Macte animo, Reuſnere: mori tua Muſa nequibit:
Ni priùs & mundi commoriatur opus.

EIVSDEM.

ET tenebras pariunt, lumenq́; Emblemata rebus
Addunt: & dulci tædia melle fugant:
Quæ ſtudijs ſunt iuncta bonis: dum ſemina produnt
Naturæ: viui ſigna profunda Dei.
Nam tenebris arcent vulgus: ſed lumine rerum
Enodant cauſas, melleq́; amara leuant.
Sic prodeſſe volunt, & delectare: nec vnquam
Doctrinæ fieri ſacra profana ſuæ.
Quæ tria dum Reuſnerus habet: naturáne, dices,
Artem maiorem ſentiet, ánne fidem?

EIVSDEM.

SI Diuos æquant, nocuæ qui pabula glandis
Corporibus mutant vtiliore cibo:

Dic, è natura menti qui pabula promit
Virtutum, poterit nónne referre deos?

EIVSDEM.

SI natura docet, quid virtus, quid ſit honeſtas:
Si fera, quæ vis ſit numinis, ipſa probat:
Talia qui ſpernit, nec diuûm iuſſa veretur:
Dic, quónam talis debeat eſſe loco?

MATTHAEI FROBENII LEORINI.

QValis vere nouo per apricos ſedula campos,
Quæ de laude ſuum nomen Alauda gerit:
Cantat, & ad cœlos alis cum voce leuatis,
Dulciſono mitem prouocat ore Deum:
Mox ſe demittens homines monet arua colentes,
Addictos dominis eſſe decere ſuis.
Talis Reuſnerì iam Muſa per omnia vatis
Regna volat: quotquot magnus hic orbis habet.
Dum ſuperûm laudes, & regum fortia facta
Semideûm celebrat carmine ritè ſuo:
Aut dulci flectit populos modulamine cantus:
Officij memores & monet eſſe ſui.
Sit curæ ſuperis, ſit regibus, opto, viriſq́;
Principibus, meriti tam benè vatis honos.

MICHAELIS FENDII MONHAEMII.

ITe Poëtarum ſcriptis haud laude minores,
Quos olim vidit Martia Roma, libri.
Auctori cumulate decus: quacunq; per orbem
Vnda Caballini fontis amœna fluit.
Nam neq; vos pueris ſtatuet legiſſe magiſter
Pœnam: iudicio non prohibente ſenum.
Nec grauis in templo fietis ſarcina myſtæ:
Nec ſi quæ ſtudijs apta puella vacat.
Quin auidè vos turba leget non caſta: cynædis
Suaue pudicitiam conciliabit opus.
Quod geritis, qui ſacra docent, tenerumq; pudorem,
Non aliud debent nomen habere libri.

IOAN-

IOANNES SAMBVCVS, CAES. HISTORICVS.

De N. Reuſneri Emblematum & Agalmatum opere.

AD LECTOREM.

NOn modò Reuſneri ſemper monimenta probaui:
Quem Muſæ, Phœbus, Spiritus intùs agit:
Quem penes arbitrium Graiæ, Latiaq́; Camœnæ,
Hiſtoriæ, Iuris, Philoſophûmq́; ſcholæ:
Sed mage tot miror Genium volitaſſe per hortos:
Tot noctes, tot & hunc euigilaſſe dies.
Cui tales numeros, pandunt ſua ſacra ſorores:
Cæſaris is meritò ſpernit, & orbis opes.
Quis Didymus noſtrum ſuperet χαλκέντερον ἄνδρα?
Aereus extabit totus, & æthereus.
Nunc etiam profert emblemata, agalmata rara:
Quîs Italis certet, Teutona vincat opus.
Quid non tentauit, quòd non perfecerit arte,
Aut cui non limam ſpontè adhibere queat?
Quid iuuat inflatos ſua carmina bibliothecis
Supprimere, atq; vſum velle negare foris?
Legitimi veniunt ſcriptis, dum promis, honores:
Fronteq́; ſi rigidis ſtent, pateantq́; notis.

Hunc verò ſtudium, labor, & patientia firmant:
Creſcet honos calamo, creſcet opima quies.
Pro ingenio, meritisq́; viro, ſudore paratis
Tandem reddantur præmia digna precor.
Seu Stoam, lector, Platani ſeu diligis vmbram:
Si ſis Harpocrates, hunc reticere nequis.
Ergo Gigantæo victori tu Herculis addas
Exuuias: par ſit nomini vtrunq; decus.

IEREMIAS REVS-NERVS LEORINVS.

DE EODEM OPERE AGALMA-tum, & Emblematum.

Librorum Didymus fuit helluo; Bibliolachas
Qui dictus hinc paſſim fuit:
Quingentos ter mille libros quòd in orbe reliquit,
Grammaticus inſtructiſſimus.
Dictus & ob ſtudium Chalcenterus, atq; laborem;
Ceu viſcera iactans ærea.
At tu non minor es Didymo, ſtudio, atq; labore,
Et tot librorum copia:
Quos in luce videt clara Sol, atq; videbit
AEuo deinceps poſtero.

Quàm

Quàm benè Sambuco Chalcenterus alter haberis;
Et Bibliolachas maximus:
Tantò equidem Didymo (me iudice) maior habendus:
Quò maior, & peritior
Iuriſconſultus, vates, Sophus, Hiſtoricusq́;,
Et Rhetor es, & Theologus.
Scribere quæ non me fratris ſtudioſa voluntas;
Sed veritas cogit potens.

Viennæ Auſtriæ Cal. Decembr.
M. D. LXXIX.

DE

NICOLAI REVSNERI LEORINI SILESII, IC. ET P. C.

EMBLEMATVM LIBER PRIMVS.

ΣΥΝ ΑΥΤΩ ΕΡΧΟΜΕΝΩ.
Non abſque Theſeo.

EMBLEMA I.



Ad Diuum Rudolphum Secundum Cæſarem Romanum.

Sidera fulcit Atlas, humeros oneratus Olympo:
Hercule ſuppoſita ſidera fulcit Atlas.
Sic te ſuppoſito Cæſar, velut Hercule, grande
Suſtinet immenſi nunc Pater orbis onus.
Affer opem feſſo, diuine Rudolphe, parenti:
Mox humeros cælo ſuppoſiturus Atlas.

Cura deûm reges.

EMBLEMA II.

Ad D. Erneſtum Archiducem Auſtrium.



A Ioue ſunt reges: Ioue nil ſublimius alto:
Sponte ſed hic ius dat regibus ipſe ſuum:

Quos

Quos regere imperio populos, & regna tenere
Mandat; & in terris munus obire ſuum.
Conſilÿs animos ſapientibus inſtruit aptos:
Et virtute pares Dÿs, & honore facit.
Semper & in medio conſiſtens agmine Diuûm;
Ius, æquumq́; bonum, iuſtitiamq́; docet.
Addit opes regnis validas, gazasq́; beatas:
Et maieſtatis dat decus omne ſuæ.
Fallor? an hinc reges magnos diuinus Homerus
Diſcipulos magni credidit eſſe Iouis.

Virtutis comes gloria.

EMBLEMA III.

Ad D. Maximilianum, Maximil. Cæſ. F. Archiducem Auſtrium.



QVid tibi cum Muſis, Alcide magne, togatis?
Græcia quando vna vos colit æde potens.
An quòd prima duces Muſarum cura potentes?
An Muſæ quòd ſint proxima cura ducum?
Sic eſt. nanque ducum cantant Muſæ inclyta facta:
Retribuunt Muſis præmia digna duces.
Creſcit honos regum Phœbeo carmine: Phœbi
Regali rurſus munere creſcit honos.

Alterius

Alterius ſic poſcit opem res altera: felix
Publica res, in qua fulget vtrumque decus.

Conſilio dux, miles exemplo.

EMBLEMA IV.

Ad D. Fridericum, Com. Palatinum, & Ducem Boiorum.



SIt dux conſilio, ſit dextra miles, & armis:
Principis excelſi qui velit eſſe loco.
Parua foris ſunt arma: manus vis nulla potentis,
Conſilium ſi non eſt, ratioq́; domi.
Namq́; labat mentis prudentia, viribus expers:
Mole ſua vires ceu, ſine mente, labant.
Quòd ſi mens non deficiat præſtabile robur
Conſultrix: nihil hac fortius eſſe poteſt.

ſphynx docet hoc, templi cuſtos: quæ virginis ora,
Quæ pennas volucris, crura leonis habet.
Conſilium virgo, robur leo ſignat: at ala
Magnanimum volucris fert ſuper aſtra ducem.

Sceptrum regni, virtus amicorum.

EMBLEMA V.

Ad D. Adamum à Dietrichſtain,

Lib. Baronem, & Palatij Cæſarei Præfectum ſupremum.



SCeptrum principis, & columna regni
Conſultor bonus eſt, & integellus:

Et pru-

Et prudens animo, & peritus arte.
Qualem te merito tuo vocamus,
O cor Cæſaris, ô & os Adame.
Nimirum omnia cernit haud vir vnus:
Multis multa oculis videre regem,
Multis multa loqui ſubinde linguis,
Multis auribus vtier neceſſe eſt
Cordatorum hominum, atq; candidorum.
Sic princeps Agamemnon ille Graiûm
Aiaces ſibi non decem, ſed vnum
Optat Neſtora: tunc breui potiri
Troia poſſe ſuos putat Pelaſgos.
Sic rex Perſidis inclytus Darius
Tot optat ſibi Zopyros: quot eſſent
Mali granula Punici, nec illo
Contentus, ſibi Zopyrum fatetur
Millies Babylone cariorem:
Et ſuis ſibi cariorem ocellis.
O vocem lepidam, aureiſq; regum
Ad palatia litteris notandam.

ΣΥΜΒΟΥΛΟΣ ἹΕΡΟΝ ΧΡΗΜΑ.

EMBLEMA VI.

Ad D. Sigiſmundum Vieheuſerum, Caſ. Conſiliarium, & Sacri Rom. Imperij Procancellarium.



QVæ fulgens titulis, & maieſtate verenda,
In circo patrum pulcra corona ſedet:
An non concilium repræſentare deorum
Cernitur, aut regum, ſemideûmq́ue ducum?
Cenſuit hoc olim Cyneas; viſoq́ue Senatu,
Quot patres, reges Roma tot (inquit) habet.
Talis Alexandri quondam fuit ampla Seueri
Curia: quum Latij ſceptra beata tulit:

Biſſenos

Biſſenos conſultores, iuriſq́; peritos
Conſilijs voluit ſemper adeſſe ſuis.
Et tu regis habes formam: cum Cæſare magno
Concilium quoties nunc Sigemunde colis:
Et tua te regno prudentia digna, fidesq́;
Acceptum ſuperis, Cæſaribusq́; facit.

Sol animi, virtus.

EMBLEMA VII.

Ad D. Philippum Edouardum Fuggerum, Com. Kirchbergæ, & VVeiſſehornæ.



SOl, oculus cœli, radijs illuminat orbem:
Et Phœbe noctem diſijcit alba nigram.

Sol animi virtus ſenſus illuminat ægros :
Et tenebras mentis diſcutit alma fides.
Si menti virtus, virtuti præuia lucet
Pura fides : nihil hoc clarius eſſe poteſt.
Aurea virtutis ſpecies, fideiq́; Philippe,
Præradians, cœlo ſic tibi monſtrat iter.
Scilicet hic vitæ Sol eſt, & Lucifer vnus :
Hæc Phœbe, noctem quæ fugat igne ſuo.
Quæ dum mente vides arrecta lumina : mundi
Impauidus tenebras deſpicis, atq; metus.
Sol magno, Phœbeq́; micent, & Lucifer orbi :
Dum tibi ſic virtus luceat, atq; fides.

ΦΥΑ ΤΟ ΓΕΝΝΑΙΟΝ.

EMBLEMA IIX.

Ad D. Iacobum Fuggerum Com. Kirchbergæ, & VVeiſſehornæ.



COelum quando petit leui volatu
Ales regia, lucidas per auras:
Fixos lumine Solis haud ocellos
Flectit: ſed radijs ſuis penetrat
Phœbum cominus intuens ſerenum:
Et ſic viſum acuit ſuum, iuuatq́;:
Quum viſum volucrum fatiget idem
Sol ſplendens, hebetetq́; cæterarum.
Sic in te generoſa mens refulget,
Claris orte parentibus, Iacobe:
Quando ſemine languet haud paterno

Virtus inſita: ſed magis magiſq́;
In te viuida, & efficax vireſcit:
Dum non à nitidis hebes reclinas
Maiorum radijs tuos ocellos:
Mentis celſiùs explicans ſed alas,
Pulcro vertice tangis aſtra cæli.
Macte ô laude, Iacobe, macte tanta:
Felix es ter, & ampliùs: beati
Quem tot Dij cumulant bonis: perennis
Laus nullo tua conticeſcet æuo.

Ditat ſeruata fides.

EMBLEMA IX.



Ad Ioannem Cratonem a Craftheim,
Medicum, & Conſiliarium Cæſareum.

CAſta Fides regnis potior, fulgentibus auro:
Perpetua gaudent numina ſancta fide.
Suſtinet hanc Honor: & Verum parit: omine fauſto
Nutrit Amor: Fidij ceu ſimulacra docent:
Quem priſca coluère deum pietate Quirites:
Inq; Quirinali conſtituère iugo.
Rebus in aduerſis opus eſt, pariterq́; ſecundis
Seruata, felix ſi cupis eſſe, fide.
Conſilium cui ſancta fides dedit vtile; paſsim
Huic honor, & populi conciliatur amor.

Pax dulcis alumna conſilij.

EMBLEMA X.



Ad Joannem Hegemüllerum Conſil. Cæſ.

PAce frui donec licet, optataq́; quiete:
Conſilijs ſanis ſit locus, atq; bonis.
Accipiat ne quid damni Reſpublica: belli
Si citò tempeſtas ingruat inde fera.
Tunc conſultores prudentia ſæpe relinquit:
Et cum fortuna mens, animusq́; cadit.
Nempe quies hoc Iuſtitiæ vult filia ſancta:
Quæ claues belli, conſilijq́; gerit:
(Pindarus vt cecinit vates) aperire Senatus
Apta forum: Martis claudere prompta fores.


I. C. P.

Quum multa, Pindare, dixeris pulcerrima:
Hoc pulcrius tamen eſt nihil:
Iuſtitiæ amabilis quies quòd nata ſit.
Nam quid quiete iuſtius?
Sed additum quánam hoc fuit ſententia?
Hanc omnium optimam deam,
Gerere ſenatus, atq; bellorum manu
Claues potente ferreas?
Nempe hoc ait: deliberationibus
Quietis danda tempora:
Vt turbulenti fortè ſi ingruant dies,
Conſilia iam præcepta ſint.
An verius? ſenſiſſe claues Pindarum
Quietis has, & ocij,
Senatum apertum, & conſili facere fores,
Belliq́; poſtes claudere.

Altera Caduceum, altera haſtam.

EMBLEMA XI.

Ad Pancratium Stibarum à Putenheim, Eq. Francum.



QVando Gephyræos infeſtat Marte Tanagra:
Armorum ſtudijs vrbs, opibusq́; potens:
En Caduciferum mittunt, pacemq́; rogantem:
Armata iuuenum ponè ſequente manu.
Quò quis viribus eſt, armisq́; potentior hoſtis,
Hoc magis armatas vult quoq́; ferre preces:
Pacem orare manu: præfigere puppibus arma:
Cogere vi, precibus ſi locus eſſe nequit.

Imperat, iratus quoties rogat hoſtis: at hoſtem
Qui rogitat timidè, ſpontè negare docet.

Thyeſtæa cœna.

EMBLEMA XII.

Ad Hartmannum Hartmanni Eppingenum, Conſ. Pal. Septemuir.



QVis neſcit menſas diras, & prandia ſæui
Tereos? aut cœnas, crude Thyeſta, tuas?
Tres Atreus natos epulandos dat tibi frater:
Coniux huic natum pro dape mactat Itym.
Sic Aſiæ quondam Selymus, Scythiæq́ tyrannus,
Mactato natis gaudia fratre facit.

Sic

Sic Solimannus atrox, nati dum ſtrangulat ora
Alterius; reliquis prandia fœda parat.
O ſcelus, ô facinus crudeli morte piandum:
O epulum, Phœbi lumina clara fugans.
Sic onager catulum, riuali cæcus amore
Caſtrat: & abſumptis teſtibus ore, necat.

Paruis diues concordia rebus.

EMBLEMA XIII.

Ad Nicolaum Ciſnerum, Iuriſc. & Curiæ Imperialis Senatorem.



P*Aruas auget opes felix concordia: magnas*
Ceu diſsipat diſcordia:

Qua non eſt grauior peſtis, neq; fœdior vlla
In orbe, vel nocentior.
Si nec læua iuuat dextram, nec dextera lauam,
Se deſtruunt ambæ manus
Ipſas: omne perit decus, & vigor omnis, & omnis
Species honeſti corporis.
Non vis regnorum, non diues copia rerum
Sic vſpiam conſtat diu.
Ceſſat enim labor, & virtus, & gratia: ceſſat,
Concordiæ ſoror, Fides.
Publica res, priuata ſalus, ars deniq; ceſſat:
Quæcunq; ſunt recta, & bona
Cuncta iacent: pereunt diſcordi cuncta duello:
Et mole ſic ruunt ſua.

Microcoſmus homo.

EMBLEMA XIV.

Ad Georgium Tradelium Juriſc. & Conſiliar. Reipub. Auguſtanæ.



PAruus quiſq; ſibi mundus, nam continet omne
Vnus homo, magno quicquid in orbe vides.
Mens cœlo, corpus terræ par eſſe videtur:
Partibus his conſtat mundus vterq; ſuis.
Illa quidem ætherea eſt: hoc eſt terreſtre: ſed ambo
Tandem ortus repetunt ſpontè ſoluta ſuos.
Lux, & vita comes mentis: ſed mors, tenebræq;
Aſſecla perpetuus corporis eſſe ſolet.

Quid? quod mundus habet varijs animalia formis
Magnus: at hæc paruus non minùs orbis habet:
Formicas, aſinosq́ue, canesq́ue, ferosq́ue leones:
Et quotquot paſſim terra, vel æther alit:
Quos aut ſedulitas iuuat, aut ignauia vitæ:
Aut morum feritas, ingluuiesq́ue vorax.
Sola quidem probitas hominis decus omne tuetur:
Qui colit hanc, hominum dignus amore coli.

Ars victrix naturæ.

EMBLEMA XV.



Ad Matthæum Laymannum Iurecoſ. & Conſ. Reip. Auguſtanæ.

Naturam

NAturam domat ars magiſtra. cernis,
Picto quod iuga delicata collo
Pardus ſuſtinet: improbæq; tigres
Indulgent patientiam flagello:
Securiq; timent manum magiſtri.
Sic vrſus, leo ſic domatur aſper:
Quem tractaſſe manu ſua virili
Primus dicitur Hanno Pœnus olim.
Sic ergo cicurantur arte docta
Tigris, pardalis, vrſus hîc, leoq;?
Et non arte poteſt homo magiſtra,
Humanus ſit vt, effici, bonuſq;?

Ratio præſit: appetitus obtemperet.

EMBLEMA XVI.

Ad Franciſcum Hotomannum Iuriſconſultum.



SEſſori ſi paret equus, ſi cymbula nautæ:
Fit compos voti rector vterq; ſui.
Si præeſt ratio, morem gerit inde voluntas:
Copia virtutis iam tibi magna datur.
Sæpe ſed imperium rationis cæca voluntas
Excutit: in dominum facta proterua ſuum:
Seſſorem ceu victor equus, frenisq; repugnans
Deijcit; & nautam ſæua procella maris.

O quan-

O quantum eſt animos regere, & frenare feroces:
Quodq́; videt mens, & quod probat, omne ſequi.
Quicquid agis, ſit mens tibi dux, ratioq́; magiſtra:
Nam ſine mente bonum cernere nemo poteſt.

Cœlo Muſa beat.

EMBLEMA XVII.

Ad Joannem Fichardum Juriſc. & Conſil. Reipub. Francofortenſis.



DVm tenet anguicomæ ſopor altus membra Meduſæ:
Callidus huic Perſeus eripit enſe caput.

Aliger hinc oritur de ſanguine Pegaſus: vnco
Bellerophontæas qui pede fodit aquas:
Quas Muſæ, quas Phœbus amat, Pallaſq́; Minerua:
Et vatum releuat quîs ſacra turba ſitim.
Barbariem virtus dum conficit enſe, Ficharde;
Tot fœtam vitijs, criminibusq́; feram:
Fama fugax pennis generoſis prodit in auras:
Continuò volitat clara per ora virûm:
Peruigil & Muſas, Phœbumq́; ſacramq́; Mineruam
Concitat: & vatum carmina docta petit.
Quem Muſæ, quem Phœbus amat, Pallaſq́; Minerua;
Quem celebrant vatum carmina, morte caret.

ΠΟΝΟΣ

ΠΟΝΟΣ ΕΥΚΛΕΙΑΣ ΠΑΤΗΡ.

EMBLEMA XIIX.

Ad Dauidem Peiferum Jurecoſ. &
Conſil. Saxon. Septemuiralem.



FElicitatis mater eſt Induſtria:
Laborq́ Gloriæ pater.
Si neſcis, hoc Amalthea cornu docet,
Plenum beata copia.
Cornu bouis, laborem ſignat aſperum.
Nam bos laborioſus eſt.
Lætam bonorum pollicentur copiam
Fructus, quibus cornu ſcatet.

Nimirum hoc olim victor abſtulit Hercules,
Pomis repletum Naiadum,
Et floribus: magni laboris præmium:
Acheloium truncans caput.
Fortuna pro quo nunc hoc, & Genius bonus.
Vtrinq; cornu ſuſtinent.
Qui ſedulò laborant, his ambo fauent:
Cornuq; donant Copiæ.

Pulcritudo ciuitatis, Concordia.

EMBLEMA XIX.

Ad Matthæum VVeſebeccium Juriſconſultum.



QVam ſpectas, eſt mater opum Concordia: templum
Camillus olim cui ſacrauit ſplendidum.

Craterem

Craterem fert dextra manus, cornuq́ʒ ſiniſtra,
Pomis, & odoro floreq́ plenum, Copiæ.
Punica mala Deæ dependent veſtibus: aſtat
Vtrinq́ʒ cornix, ſacra auis Concordiæ.
Nimirum regni vis eſt Concordia ſancta:
Et pulcritudo ciuitatis maxima:
Cui comes eſt pleno diues bona Copia cornu:
Et Pax, & alma Quies, Iuſtitiæ filia.
Bacchus adeſt, & flaua Ceres, & opima Voluptas;
Adſunt Opes, & Firmitas, & Sanitas.

Vnita virtus valet.

EMBLEMA XX.



Ad Joan. Georgium, & Guilielmum
à Rotenhan, Eq. Francos.

SI frater cum fratre, via ſpatiatur in vna:
Et lapis ante pedes inter vtrunq; iacet:
Circumeunt vnà lapidem, pro more Pelaſgo:
Obliquantq́; ſimul frater vterq; vias.
O quantum eſt animis concordes viuere fratres:
Quod vult vnus, vt hoc mox velit alter idem.
Nempe cauent; ſenſus offenſio ne qua propinquos
Diſtrahat: aut temeret lis inimica fidem.
Si, velut ad lapidem, hic offendit: reſpuit ille
Offenſam fratris, diſsimulatq́; ſui.
Pro noxa, non noxa datur: ſed gratia duplex:
Et veniæ ſuus eſt, officioq́; locus.
Sic virtus vnita valet: fortunaq́; fratrum
Incolumis, mens hîc dum manet vna, manet.
Sic, niſi ſeiunctos, triplici cum corpore fratres
Alcides nequijt vincere Geryonas.

Concordia nutrit amorem.

EMBLEMA XXI.

Ad VVolffgangum Chriſtophorum à Rotenhan, Eq. Francum.



SIt quamuis grandis, lapis integer innatat vndis
Tyrrhenus: fractus ſidit, & ima petit.
Sic genus humanum concordia ſuſtinet alma:
It peſſum, lis ſi diſſociare velit.
Lis odium generat: concordia nutrit amorem:
Ceu ſociam vitem Palladis arbor alit.

ΑΞΕΝΟΣ

ΑΞΕΝΟΣ ΞΕΝΟΣ.

Hoſpes, vt hoſtis.

EMBLEMA XXII.

Ad Andream Duditium, Senatorem, & Oratorem Cæſareum.



THreïcius Muſas inuitat ſponte Pyreneus:
Parnaſſi quando ſplendida templa petunt:
Fallaciq; Deas vultu colit hoſpes, vt hoſtis:
Nam parat his damnum, vimq; Tyrannus atrox.
Continuò ſumptis cœtus ſacer effugit alis:
Sublimis tectis hic cadit, atq; perit.

Sæpe fugat doctas Martis vis improba Muſas:
Semper habent tutum rurſus in orbe locum.
Cur? quia ſunt tutæ magnorum numine Diuûm:
Quos celebrant numeris, carmine, voce, chely.
O pereat, quiſquis Muſas furialiter odit:
Quiq́ bonis non vult artibus eſſe locum.

Menſura ſui optima.

EMBLEMA XXIII.

Ad Cyprianum Leouitium à Leonicia, Mathematicum.



ASpicis, vt durum, plenumq́ labore viator
Carpat iter: nimium laſſus vtroq́ pede.
Cur? non robur abeſt, non vis in corpore magno:
Sed pede maior hic eſt calceus, ille minor.

Alter ſubuertit malè calceus; vrit eundem
Alter: vix benè iam, quò gradiatur, habet.
Metiri ſe quemq; ſuo modulo, ac pede verum eſt:
Menſuram fas eſt noſcere quemq; ſuam.
Omnia quum dono tibi ſint conceſſa deorum:
Si tua metiris pondera, ferre potes.
Quod ſatis eſt, ſi certus habes, nihil ampliùs opta:
Sorteq́; contentus viue, valeq́; tua.

Multa multùm legenda.

EMBLEMA XXIV.



Ad Joan. Thomam Freigium Jureconſultum.

Mercurij

Mercurij ſi quis ſubit antrum doctus amœnum:
Quo cuiuſq; boni copia magna datur:
Pauperiem fugiens miſeram, triſteſq; labores;
Fert vtraq; manu commoda multa domum.
Muſarum doctos qui verſat ſæpe libellos:
In quibus ars, virtus, ingeniumq; latet:
Fit ſapiens, doctus, diues, bonus, atq; beatus:
Fit clarus fama, dignus honore ſenex.
Mercurius tot opes donat venientibus vltrò:
Haud vacuum quenquam paſſus abire foràs.
O miſerum, quem non auctores cura legendi
Afficit: & qui non hæc bona ſponte rapit.

Muſarum, & Gratiarum copula.

EMBLEMA XXV.

Ad Hieronymum VVolſium V. C L.



MErcurium Baccho, Charites coniungere Muſis,
Ars magna, magna virtus:
Ingenij laus experientis magna putatur.
Potes hoc vtrumq; VVolſi,
Mercurium ſocias Baccho: ſi quando lepores
Vino, ſalesq; miſces:
Suauibus, & doctis oblectans pectora dictis
Sodalium bonorum.

Commi-

Commiſces Muſis Charites: tot quando libellis,
Quos laudat omnis ætas,
Ingenij lenocinium, geniumq́ beatum
Aſpergis eruditis.
O os dulce viri: ſapiens ô pectus amici:
O copulam ſuauem.

ΟΥΡΩ Κ' ΕΙΡΕΣΙΗ.

Vento, ac remigio.

EMBLEMA XXVI.



Ad Theodorum Zuingerum Medicum, & Philoſ. CL.

QVi Venerem concha tranquilla per æquora ducit
  Piſcis: & eſt ratium fidus vbiq; comes:
Pompilus ille ſacer (dictus quoq; Nautilus idem;
  Quòd ſecet æquoreas, more triremis, aquas)
Si mare compoſitum fuerit, pede labitur æquo:
  Et, quò vult, velis, remigioq́; venit.
Cauda dat huic clauum: remos dant brachia: vela,
  Membranæ: quoties aura ſecunda fauet.
Quòd ſi triſtis hyems, & non tractabile cœlum
  Forſan adeſt: hauſta ſe quoq; mergit aqua.
Mundus hic eſt magnum mare: ſed maris incola tanti
  Eſt Sophus: interpres & ſacer ille deûm:
Qui quòd amans Sophiæ ſanctæ diuinus habetur:
  Sic Venerem concha per freta longa vehit.
Ipſe ſimul ratium comes, & fabricator in alto:
  Dum cœtus hominum temperat arte ſua:
Moribus, & ſanctis dum fundat legibus vrbes:
  Ac, quo vita modo ſit peragenda, docet.
Quàm benè conueniunt tibi ſymbola talia: nomen
  Grande Sophi vita qui, Theodore, refers.
Dÿ faciant, vt remigio, ventisq́; ſecundis,
  Quicquid agis, dextro numine, ſemper agas.

O vita

O vita miſero longa.

EMBLEMA XXVII.

Ad Hugonem Donellum Juriſconſultum.



HEu quantus dolor eſt, inuita viuere vita:
Velle mori ſemper, ſed neq; poſſe mori.
Felici breuis illa quidem, ſed longa miſello
Pœna datur; ſi quis viuit in orbe diu.
Quid? miſeram ſatis eſt tolerabile viuere vitam:
Si modò nos vitæ ſpes melioris habet.
Cui mortis pœnas non hic mors altera finit,
Infelix. ſemper maxima pœna mori.
Sic inconſumptum Tityi, ſemperq́; renaſcens,
Sæpius vt pereat, non perit omne iecur.

ΑΛΚΗ ΑΝΕΜΩΛΙΟΣ ΑΦΡΩΝ.

EMBLEMA XXIIX.

Ad Raymundum Pium Fichardum,
Ioan. F. Iuriſconſultum.



MElle ſoporatam dux Troius obijcit offam
Cerbereis portis, Elyſiumq́ ſubit.
Igniuomum ſopit medicata fruge draconem,
Auratæ Iaſon vellere diues ouis.
Anguicomæ Perſeus ſuperator Gorgonis, aureo
Alipedem freno Palladis vrget equum.
Multum vis animi, ſed plus ſapientia præſtat:
Quæ cum conſilio cuncta, modoq́ gerit.

Quem ratio, non ira mouet, Dijs proximus ille eſt:
Plus ratio, ſtulto robore, recta valet.
Mole ſua, vis conſilij ſeſe obruit expers:
Cui pectus ſapit, hic vtilis eſſe poteſt.
Sic tu, ſic pater ille tuus, Raymunde, magiſtra
Conſulitis patriæ dum ratione ſimul:
Magnum equidem præſtatis opus. ſapientia par eſt
Non vi velle magis, quàm ratione regi.

Manet immutabile fatum.

EMBLEMA XXIX.



Ad Paulum Meliſſum Schedium
Eq. & Com. Pal.


ET necis, & vitæ manet immutabile fatum:
Maximus in cælo quod regit ipſe Deus.
Scilicet hoc monet iſta bilanx, è nubibus altis
Quam librat iuſto pondere dextra Dei.
Quæ fiunt, fiunt fati ſic lege perenni:
Cui duro clauſæ ſtant adamante fores.
Subiacet huic rex, & grex, ſubiaceatq́ neceſſe eſt:
Et ratio fatum vincere nulla poteſt.
Nam ſemper certum, & ineuitabile fatum eſt:
Et ſummis mutat, quum libet, ima Deus.
Seruis dat regnum, captiuis ſæpe triumphum:
Atq premit reges, attenuatq́ duces.
Sic fatum nemo, fatuus niſi corde, Meliſſe
Spernat. nam quod vult, hoc facit omne Deus.

Deo,

Deo, Reipub. amicis.

EMBLEMA XXX.

Ad Joannem Reymannum Jureconſ. & Cancellarium Epiſc. Vratiſlauienſis.



PRimùm DEO, REI deinde PVBLICAE,
Poſthæc AMICIS viue, dum viuis, tuis.
Nam vita mancipio datur nulli ſua:
Nec vita, ſed mors eſt, modò viuens ſibi.
Sic mellis haud generat ſibi fauos apis:
Sic vellerum fert haud ſibi fructus ouis:
Nec educat ſoli ſibi pullos auis.
Quod viuit, hoc homini; aſt homo viuit Deo:
Alter cui Deus manet Reſpublica:
Conſtans amicus velut homo eſt homini Deus.

De eodem Symbolo.

Vt viuas benè, viue Deo, patriæq́, & amicis
Vtilis: haud vera eſt viuere vita ſibi.

Fidei coticula, crux.

EMBLEMA XXXI.

Ad Gualtherum Drechſelium Jurecoſ. & Cancellarium Palatinum.



PAſtinat haud ſemper, nec arat, nec conſerit agrum:
Quem colit, & victum comparat vnde ſibi.
Si maturuerint, fruges metit, horrea complet
Ruſticus: & fructus condit vbiq́, nouos.

Tribula

Tribula mox grana terens, baculóue, rotáue
Colligit: & panes pinſitat inde bonos.
Cultor agri, Deus eſt: ager eſt, Eccleſia: ſemen,
Sermo ſacer: myſtes ſemina condit humo.
Crux, & ſors miſera eſt felix tritura piorum:
Quos, ceu coticula, ſic probat vſq; Deus.
Frumentum, fidei conſtantia: panis, aluntur
Quo ſancti, æterna eſt gloria, vita, ſalus.
Qui ſapit, & panem vitæ deſiderat almæ:
Se triturandum ſponte dat hercle Deo.
Fert, quæ ferre iubet Deus, & fert pectore lætus:
Atq; ſua conſtans in pietate manet.

De eodem.

Quod grano ploſtrum, quod ferro lima, quod auro
Fornax; hoc homini crux ſolet eſſe pio.

TH. B. VV.

Quod duro lima eſt ferro, meſſiq; flagellum,
Auro quod ignis eſt rudi:
Hoc tibi, ſi ſapias, crux eſt, licet aſpera: quiſquis
Cœlum Deo petis duce.

Mala bona.

EMBLEMA XXXII.

Ad Huldrichum Sizingerum Conſiliarium Cæſareum.



Anctorum ſtatus eſt duplex: crucis vnus; honoris
Alter: dolores hic dat, ille gaudia.
Gaudia fert nemo, niſi qui fert antè dolores.
Qui è nuce nucleum eſſe vult, frangit nucem:
Cortex quam geminus tegit: ex his vnus amarus,
Lacrymas ciet: durus ſed alter, nucleum
Intus alit, dulcem ſatis, acceptumq́; palato.
Sic cœlicæ ſis particeps vt gloriæ:
Perfer, & obdura caſus conſtanter in omnes:
Crux eſt piorum gloria, & victoria.

Semen

Semen Eccleſiæ, ſanguis piorum.

EMBLEMA XXXIII.

Ad Petrum Agricolam Conſiliarium Palatinum.



QVi tenet æternis Amaranthus nomen ab herbis:
Aeternum capiti det decus, opto, meo.
Cur? flos pulcer, amœnus, odorus, amabilis: æſtu
Languidus haud vllo Solis, & igne perit.
Decerpi manibus gaudet, rurſumq́ue vireſcit:
Decerptusq́ue ſemel lætior inde redit.
Quòd ſi Phœbeo nimis aruit igne peruſtus:
Sparſus aqua vitæ redditur vſque noua.

Si neſcis,

Si neſcis, monſtrat flos hic, ſit qualis in orbe
Cœtus, qui Chriſti numina magna colit.
Preſſa malis quamuis Eccleſia ſæpe laboret:
Lucet in ærumnis illius omne decus.
Mille pij redeunt è gutta ſanguinis vna:
Quæ de mactato martyre fuſa cadit.
Quid quod vita datur ſanctis cum morte peremptis?
Qui moritur Chriſto, viuit, & haud moritur.

Frater ne deſere fratrem.

EMBLEMA XXXIV.



Ad Hauboldum Flættacherum Reipub. Ratiſpon. Camerarium.

Quis

QVis neſcit geminos, concordia ſidera, fratres?
Qui duo corporibus, mentibus vnus erant.
Caſtor eques, polluxq́ pugil: de gente deorum
Ambo: pares annis: laudibus ambo pares.
At quum Lynceo traiectus pectora telo;
Mortifero Caſtor vulnere preſſit humum:
Vltor adeſt pollux, & Lyncea perforat haſta:
Quamuis huic Idas auxiliator adeſt.
Supplicat inde Ioui lacrymans: pro fratre laborat
Caſtore: quem ſecum viuere poſſe rogat.
Quis putet? in cælo cum Dijs ſine fratre recuſat
Viuere: dimidia parte ſuperſtes adhuc:
Dimidium cum fratre ſuo communicat æuum:
Incola nunc cæli, nunc cupit eſſe ſoli.
O amor, ô pietas. Nimirum dicitur in nos
Fabula: quos fratres hîc facit vna fides.
Quos, veluti Lynceus alter, dedit efferus hoſtis
Exitio: mendax nempe, vetusq́ draco.
At tu, Chriſte, cui cælum ſublime patebat;
Frater amas dici noſter, & eſſe pius.
Partiris vitam nobis, partiris Olympum
Largus: & alterna nos ſtatione locas.
Naſcendo moreris: moriendo viuis: & vltor
Sub pedibus calcas Tartara tæca tuis.
Salue, nate Deo, frater dulciſſime ſalue:
Communem placa tu prece quæſo patrem.

Vicit iter durum pietas.

EMBLEMA XXXV.

Ad Georgium VVirthium Med. Car. V. Imp. cog. ſuum.



Cernis, vt è ſcopulo, perculſus amore maritus
Coniugis, in vaſti ſpontè profunda maris
Se iacit; obteſtans piratas voce, manuq́;
Capitiuo liceat quo ſimul eſſe ſibi.
Impetrat, & ſecum nuptam ſic liberat: inde
Stipator meruit principis eſſe ſui.
Scilicet è cœlo ſic te iacis in mare mundi
Christe; latrocinij, ſupplicijq́; memor
Primaui: ſerues vt, libertateq́; dones
Sponſam; quæ ſancta te colit vna fide:
Et mox cœleſti tecum regione locata;
Hærebit lateri pura, decensq́; tuo.

O nos

O nos felices, ô terq́ quaterq́ beatos:
Quos tanto ſtudio curat, amatq́ Deus.

V. D. M. I. AE.

EMBLEMA XXXVI.

Ad D. Chriſtophorum, Duc. VVirtebergicum, & Tecc.



PEr mare Chriſtophorus fert Chriſtum, robore nixus
Arboris: & fax huic prauia monſtrat iter.
Per mundum, verbi cœleſtis robore fretus,
Aſtra petit, Chriſtum qui profitetur, homo.

Fons lucis, Chriſtus: fax ſunt, oracula ſancta:
Indicium dubiæ, ſolicitaq́; viæ.
Quam quia tu ſequeris per mille pericula, Princeps
Inclyte: Chriſtophori nomen, & omen habes,
Scilicet vt VERBVM DOMINI *manet omne per æuum:*
Sic neſcit pietas, & tua fama mori.

Viue memor lethi.

EMBLEMA XXXVII.



Symbolum D. VVolfgangi Com. Palatini, & Duc. Boiorum.

Quid

QVid, formoſe puer, ſic mortis imagine gaudes?
Quid mortis facies, quid breuis hora notat?
Viue memor lethi: viues pius: hora ſuprema,
Semina nequitiæ languidiora facit.
Viue pius: moriere pius: viuesq́ beatus
Poſt mortem: vitæ mors via ſancta nouæ eſt.

Chriſtus meum aſylum.

EMBLEMA XXXIIX.

Symbolum D. Philippi Ludouici, Com. Palatini, VVolfg. F.



SEu morior, ſeu viuo, meum ſit Chriſtus aſylum:
Fortunæ Chriſtus portus, & aura meæ.
Ille meæ mentis ſpes, & fiducia ſola:
Pendet ab hoc vno iam mea certa ſalus.

Anchora ſit fidei ſignum, ſub imagine Chriſti:
Siſtere quæ tutum littore ſola poteſt.

Deum time: Regem honora.

EMBLEMA XXXIX.

Symbolum D. Othonis Henrici Secundi,
Com. Palatini Rhenani.



Astra Deo nil maius habent: nil Cæſare terræ:
Sic Cæſar terras, vt Deus aſtra regit.
Cæſaris in populos tantùm, regumq́; : ſed ipſos
Cœlitis in reges eſt Iouis imperium.
Nam regum rex eſt, poſita eſt cui regia cælo:
Poßidet imperij Cæſar in orbe thronum.

Primus honor ſuperis debetur: regibus alter,
Quos voluit diuûm nomen habere Deus.

I. M. I.

Omnia quæ latè tenet orbis, & arduus æther,
Vnus habet trino numine cuncta Deus.
Hic cœlum nato dedit, & corda addita cœlo:
Sed natis hominum terrea regna dedit.
Ergo poteſtati ſancta parere neceſſe eſt:
Sunt ſua Cæſaribus, ſunt ſua danda Deo.
Principibus debetur honor, cenſusque, timorque:
Cordis amor puri, vota, fidesque Deo.
Hæc duo quum mandant diuerſos numina cultus:
Primus honor Chriſti, Cæſaris alter erit.

Fortitudo, & laus, & ſalus mea Dominus. Pſal. 118.

EMBLEMA XL.



Symbolum Nicolai Reuſneri Iuriſconſulti.

Optima

OPtima res, laudare Deum: laus cœlitus illa,
Et cum laude fides vera, ſalusq́; datur.
Sit leo virtutis, frons laudis, cruxq́; ſalutis
Sit nota: quis Iudæ dux Leo Chriſtus ouat.
O par ſit laudi tantæ vis, atq́; facultas:
Me ſcio perpetua poſſe ſalute frui.

DE EODEM.

Quod te laudo, Deus: quod per te viuo redemptus:
Non opis humanæ, numinis omne tui eſt.
Tu mea laus, mea certa ſalus, mea magna poteſtas:
Quid reliquum? quod ſum, ſit, Deus, omne tuum.

NICO-

NICOLAI REVSNERI LEORINI SILESII, IC. ET P. C.

EMBLEMATVM LIBER SECVNDVS.

ΩΣ ΗΔΥ ΧΡΗΣΤΟΤΗΣ ΣΥΝΕΣΕΙ κεκραμμένη.

EMBLEMA I.

Ad D. Richardum Streinium Baronem SchuarZenauium, Conſ. Cæſaris.



QVò quis doctior eſt, hoc eſt humanior: & quò Indoctior, hoc moroſior.

Artibus ingenuis molleſcunt pectora: morum
Feritas fugit inſolentium.
Quid? ſine doctrina nihil eſt laudabile: nec vir
Magnus ſine hac quiſquam fuit.
Summum equidem heroëm, materni lactis, Achillem
Penuria, quondam ferunt
Sæpe leonina paſtum creuiſſe medulla:
Fidem rei nomen facit.
Ecqua leone fera eſt generoſior? ecqua medulla
Eſt oſsium, eſca dulcior?
Sic ad ſpem nemo virtutis creuerit altæ,
Sine pabulo hoc heroico.
Te, Streini, magnum facit ars, doctrinaq́ magna:
Et par huic humanitas.
O dulcem nexum tantæ virtutis, & artis:
O temperamentum bonum.

Equus

Equus Sophocleus.

EMBLEMA II.

Ad Joannem Sturmium.



SIt licet annoſus, longoq́; infirmior æuo,
Aſſuetus circo vincere, fortis equus:
Ingentes animos haud ponit, laudes auarus:
Arrectisq́; ferox auribus vſq; micat.
Sic vires animi nondum tibi tarda ſenectus
Debilitat: conſtat qui fuit antè vigor.
Dum vires vltra, Sturmi, ſortemq́; ſenectæ,
Magnanimus ſequeris Muſica caſtra Gigas.

Primus in his dux, & miles, nos ſpontè ſequentes
Exemplo fortes ſic facis eſſe tuo.
Macte animi, diuine ſenex; longumq́ per æuum
Viue: Sophoclei nomine dignus equi.

Gloria Crocodilus.

EMBLEMA III.

Ad Ioannem Sambucum, Cæſaris Hiſtoricum.



TErribilis profugum ſequitur Crocodilus: & hoſtem
Aduerſum, tanquam territa dama, fugit.

Gloria ſectantes odit, refugitq́; : fugaces
Perſequitur tacito clàm properata pede.
Ambitio pectus miſerum leuis vrit : at altæ
Virtutis comes eſt gloria, laus, & honor.
Ponè ſequens ſic te beat ardua gloria cælo:
Sambuce, Aoniæ fama, decusq́; lyræ.
Et tuus ex merito te ſplendor, honosq́; tuetur:
Gloria nec mendax te, titulusq́; iuuat.
Laudari mauis animo, quàm voce: fauoris
Dum laudem veri, quà licet, vſq́; petis.

TH. B. VV.

Niliacus qualis ſerpens fugientibus inſtat:
Inſtantes fugiens quanlibet ante ferox:
Sic vetus ille draco, ſæuus mortalibus hoſtis,
Te reprimente fugit, te fugiente premit.

Victrix caſta fides.

EMBLEMA IV.

Ad Dauidem Chytræum.



CAſta pudicitiæ defenſtrix bellua: cornu
Vnum quæ media fronte, nigrumq́; gerit:
Theſauros ornans regum, preciumq́; rependens:
(Nam cornu præſens hoc leuat omne malum)
Fraude capi nulla, nulla valet arte virorum
Callida: nec gladios, nec fera tela pauet:
Solius in gremio requieſcens ſpontè puellæ:
Fœminea capitur, victa ſopore, manu.

Mens

Mens ſtudioſa Dei, ſtudioſa pudoris honeſti:
Dum rectum vitæ carpere gaudet iter:
Nil curat fraudes hominum, nil verba malorum:
Nec timet hoſtiles debilitata metus:
Solius credit domini ſe ſpontè fauori:
Inq́ deo requie vult meliore frui.
Felix, qui vitæ ſpem certam ponit in vno,
Mortuus, & viuus, tempus in omne Deo.

Caſta placent ſuperis.

EMBLEMA V.



Ad Abrahamum Mannam Antiſtitem Lauinganum.

Porphy-

Porphyrio magni ſic nomine dicta Gigantis:
Pulcra quidem ſpecie, ſed fluuialis auis:
Caſta pudicitiæ vindex: ſi mœcha ſit uxor,
Pectore mæſta dolet, præq; dolore perit.
Turpia quiſquis amat furtiui gaudia lecti:
Et quæ non vni ſeruit amica viro:
Se negat eſſe hominem: peiorem ſcilicet, eſt quàm
Bellua mentis inops, quæ ratione caret.
Caſta placent ſuperis: & certo fœdere, lecti
Alterius metuens, & ſine labe fides.
Talis Bellerophon es, talis nempe Ioſephe:
Pro caſtis thalamis promptus vterq; mori.

Dÿ pro-

Dij prohibete nefas.

EMBLEMA VI.

Ad Martinum Rulandum Medicum.



FElle caret, viuitq́; diu: ſitis, atq; laborum
Fert patiens tergo grande Camelus onus.
Filius haud matri, nec ſit ſua filia patri
Coniux: caſta fides obſtat, amorq́; pius.
Si cogas, furit hic, fœdoq́; repugnat amori:
Si non deſiſtas cogere: nullus eris.
Oedipe, tuq́; Nero, quæ vos dementia cepit,
Polluit haud ſanctum ſi fera caſta torum?

ΠΙΣΤΟΝ ΑΠΙΣΤΟΙΣ ΟΥΔΕΝ.

EMBLEMA VII.

Ad Philippum Hailbrunnerum S. Theol. D.



SVppoſitum cuculi fœtum Curruca canora
Educat, in fraudem, perniciemq́; ſuam:
Creuerit hic, pullis genuinis præripit eſcam:
Et matrem rabido deuorat ore ſuam.
Sancta Dei fouet innumeros Eccleſia fœtus:
Pro meritis cui non gratia digna datur.
Namq; poteſtatem nacti plerunq; : maligno
Dilacerant matrem corde, necantq; piam.
Omnia ſunt ingrata: nocet, feciſſe benignè:
Pro precio damnum, qui benefecit, habet.

ΓΕΝΟΙΟ, ΟΙΟΣ ΕΣΣΙ.

EMBLEMA IIX.

Ad Laurentium Ludouicum Leorinum.



Callida, & (vt perhibent) humanæ vocis hyæna
Aemula: compellat nomine quemq; ſuo:
Alternatq; vices Veneris: nunc fœmina, nunc mas:
Et tantùm conſtans in leuitate ſua eſt.
Qui leuis eſt, mentiq; ſuæ contraria dicit:
Et nunc eſſe bonus, nunc ſtudet eſſe malus:
Alternatq; fidem: figens ius, atq; refigens
Protinus: hic niger eſt, hunc Ludouice fuge.

Qualis Cliniades olim fuit Attide terra:
Cui par haud Protheus mobilitate fuit:
Iam ſocius Spartæ, iam mauult fidus Athenis
Viuere: Vertumno natus & ipſe malo.
Cum pietate, fide cum ſancta ducere qui vult
Aeuum: ſit conſtans, propoſitiq; tenax.
Magna quidem ſtrepitus dementes reſpuit incus:
Sic mens ſcit quamuis vim generoſa pati.
Degeneres animos leuis inconſtantia ſemper
Arguit: at pietas firma, timore vacat.

Cedite fatis.

EMBLEMA IX.

Ad Joannem Schneideuinum Juriſconſultum.



QVadrupedum quum ſit Leo rex, dominusq́; ferarum:
Ad Galli cantum cur, ſtrepitumq́; fugit?
Telluri, Diuûm matri, ſacer eſt leo: Marti
Gallus, qui Solis prouocat ore iubar.
Sic vim diuinam metuit terrena poteſtas:
Cui refragari faſq́;, piumq́; vetat.
Plus valet humano diuinum robore verbum:
Et ratio ſuperos vincere nulla poteſt.

Sit quamuis ferus, & violentus, atroxq́; tyrannus:
Ipſe fugæ meminit ſponte, nuente Deo.
Immenſa eſt, nec habet finem diuina poteſtas:
Quicquid vbiq; vides, ſubiacet omne Deo.

Nil Chriſto triſte recepto.

EMBLEMA X.

Ad Hieronymum Haunoldum Medicum.



P*Rædatur pullos, pedibusq́; euiſcerat vncis*
Miluus edax: ſi quos deuius error agit.

Colligit,

Colligit, & fidis tegit hos gallina ſub alis:
Gloccitu matrem teſtificata piam.
Terribilis Sathanas ſanctos affligit, & angit:
Et quacunq; poteſt arte nocere, nocet:
Protegis alarum quos, Chriſte, potente ſub vmbra:
Et ſæuo tutos ſolus ab hoſte facis.

Omnia vincit amor.

EMBLEMA XI.

Ad Juſtum Lipſium.



S*Anctus amor ſobolis: pietas & ſancta parentum:*
Fortes ex timidis reddere ſæpe ſolet.

Quid magis eſt aſino timidum? quid fortius igne?
Præſenſit pullos ſi trepidare malo:
Per flammas aſinus currit, penetratq́; per ignes:
Quò ſeruet fœtus, eripiatq́; ſuos.
Quid faciant homines, facit hoc ſi beſtia, Lipſi,
Quos ſuperis æquat mens, ratioq́; Dijs?

Cæcus amor prolis.

EMBLEMA XII.

Ad Vitum Vuiggium Iuriſconſultum.



SImia ſimiolos edit ſi fœta gemellos:
Protinus haud cura nutrit vtrunq́; pari.

Ponè


Ponè latus matris ſemper, quem negligit, hæret:
Quem fouet, hunc vlnis geſtat vbiq; ſuis:
Dumq; fouet gremio, nimium complexa premendo
Enecat: indigno fœtus amore perit.
Spretus at incolumis manet ille: diuq́; ſuperſtes,
Fit demum matri carior inde ſuæ.
Cæcus amor prolis: nimium qui amat, odit iniquus:
Et ſecum celeri morte perire facit:
Dum nimis impatienter amans, vitium omne benignus
Approbat: & rectum, quod facit omne putat.
Blandus amor patrum, matrumq́; domeſtica cura,
Corrumpit natos, quos genuêre, bonos.
Eſſe foris præſtat iuuenem: tolerare labores:
Viuere deliculum quàm ſine laude domi.

ΑΧΑΡΙΣ ΧΑΡΙΣ.

Odit amans nimium.

EMBLEMA XIII.

Ad Henricum Huſanum Iuriſconſultum.



Dum ſpectat pullum ſcrobe captum: raptus amore
Fertur ad hunc Elephas, ferre paratus opem:
Sic in præcipites foſſas, vrgente ruina
Voluitur: & perimit ſe, catulumq́ ſuum.
Plus nocet immoderatus amor plerunq́ parentum:
Quàm prodeſt: quando neſcit habere modum.
Quid cupiat, ſcit amans: ſed quid ſapiat, malè ſanus
Haud videt: & vitium ſic quoq́ cæcus amat.

Sit

Sit mens, & ratio dux ſemper amoris honeſti:
Si non eſt ratio dux; furor, haud amor eſt.

Pro lege, & grege.

EMBLEMA XIV.

Ad Balthaſ. Gutelerum Medicum.



PArthenopes rex Alfonſus ſapiensq́, bonusq́,
Pinxit honorata te, Pelecane, manu:
Rimantem roſtro transfixum pectus acuto:
Sanguine ſic pullos viuificare tuos.
Pro grege ſic, pro lege mori fas eſt quoq, regem:
Et populis vitam reddere morte ſua.

Morte ſua vitam ceu Chriſtus reddidit: atq́;
Cum vita pacem, iuſtitiamq́; pijs.

Pelecani Proſopopœia.

Pro grege, pro ſancta fundet rex lege cruorem:
Sic vitam pullis ſanguine reddo meo.

ΑΝΤΙΠΕΛΑΡΓΗΣΙΣ.

EMBLEMA XV.

Proſopopœia Ciconiæ.



EXul ego brumæ, tepidiq́; Ciconia veris
Aduena: paſco ſenem grata, feroq́; patrem.


Mirum,

Mirum, ſi vinco, ſancta pietate, capaces
Mortales mentis, cum ratione, ſacra.
Abſalo perſequitur patrem quòd Marte Dauidem:
Ludit & opprobrÿs te, Noha ſancte, Chamus.
Tullia quòd violat ſanctum pietatis amorem:
Patria carpento vecta per ora ferox:
Sancta placet potiùs pietas Aeneia: patrem
Fert humeris, carum pondus, ab igne ſuis.
Sanctus amor fratrum Cleobes placet, atq; Bilonis:
Ambo trahunt matrem curribus, inſtar equûm.
Quid loquar Aetnæos fratres? magnumq́; Cononem?
Quæq́; ſuo pauit lacte Cimona patrem?
Et meritò pietas homini tutiſſima virtus:
Flamma vorax cui ſic cedit, & vnda rapax.

Heu cadit in quenquam tantum ſcelus.

EMBLEMA XVI.

In Althæam.



DVm cineres, Meleagre, tuos ad buſta ſorores
Collacrymant: Syrias mox abeunt in aues.
Fratris adhuc nomen retinent: planguntq́, gemuntq́:
Matris & accuſant voce querente nefas.
Mens vbi materna eſt? vbi ſunt pia vota parentum?
Vitam, cui dederas, eſt ſcelus eripere.

ΧΡΗΣΙΣ ΠΛΟΥΤΟΥ ΜΑΡΤΥΣ.

EMBLEMA XVII.

Ad Valentinum Erythræum.



Surripit oua ſalax perdix aliena: fouensq́;
In nido, pullos educat inde nouos.
Pullus at eductus nutricem deſerit vltrò:
Cantantis pendens matris ab ore ſuæ.
Condit auarus opes, defeſſoq́; incubat auro:
Per fas, atq; nefas condit auarus opes.
Vnde habeat, nihil is curat: ſed oportet habere:
Et citò vult fieri diues, inopsq́; manet.
Nam mors aut vilem redigit communis ad aſſem:
Eripit aut partas turpe tribunal opes.
Magnis parta malis, pereunt maiore dolore:
Quod dat cuiq; Deus, ſorsq́; benigna, ſat eſt.

Voluptas eſça malorum.

EMBLEMA XIIX.

Jn Epicurum.



CVr odio ſus eſt, Elephas, tibi? ſenſus acutus
Quum mihi ſit, cœni lædor odore graui.
Quorſus? vt ingenio certent, virtuteq; mecum:
Et rectè ſapiant, & benè ſemper agant:
Sic homines eſcam doceo vitare malorum:
Qua paſcis mentem, Sus Epicure, tuam.

Abſtinuit Venere, & Baccho.

EMBLEMA XX.

Ad Henricum Stephanum.



SAeua feroxq́ licet, poſito Panthæra Lyæo
Ebria, captiuas dat ſine lite manus.
Quem Mars haud vincit ferro: ſine robore vincit
Compedibus Bacchus ſæpe, Venusq́ ſuis.
Crine potens Simſon, inuictus robore quondam,
Pellicis infamis victus amore perit.
Magnus Alexander, dux inſuperabilis armis,
Occidit Herculeis hauſtibus ante diem.

O *Anni-*

Annibal à Latio ſuperatur milite Pœnus:
Aſsiduo luxu languidus, atq; mero.
Plus venus, & vinum, quàm vis, ferrumq; nocere
Sæpe ſolet: medium qui tenet, ille ſapit.

ΤΣ ΔΙΑ ΡΟΔΩΝ.

EMBLEMA XXI.

Ad Joannem Lauterbachium. P. L.



QVem mala fraus agit, & veri ignorantia cæcum:
Cui placet omne malum, diſplicet omne bonum:
Qui ſacra virtutis ſpernit præcepta: ſibiq;
Peccandi finem ponere neſcit homo:

Non

Non homo, ſed ſus eſt: cui limpida diſplicet vnda
Fontis: & ante pedes vnio pulcra iacens.
Quin & amaracinum fugit, vnguentumq́ue: roſasq́ue
Calcat humi, cœno Sus, & amica luto.
Quem iuuat illuuies ſcelerum, fœtorq́ue, malorum:
Muſarum caueat pulcra roſeta ſequi.
Fœdus enim Muſis eſt cum virtute perenne:
Qui bona, quæ ſcit, agit ſedulus, ille placet.

Merces anguina.

EMBLEMA XXII.

Ad Matthæum Frobenium Leorinum.



F*Rigore confectum quem ruſticus inuenit, anguem*
Imprudens fotum recreat ecce ſinu.

Immemor hic miſerum lethali ſauciat ictu:
Reddidit hic vitam; reddidit ille necem.
Si benefacta locas malè, ſimplex mente, bonusq́;
Non benefacta quidem, ſed malefacta puta.
Ingratis ſeruire nefas, gratisq́; nocere:
Quod benè ſit gratis, hoc ſolet eſſe lucro.

Incerta pro certis amplecti ſtultum.

EMBLEMA XXIII.

In Captatorem.



QVam gerit, effigiem carnis cum ſpectat in vndis:
Et verè carnem, quod fuit vmbra, putat:
Captat, & incautus patulo canis appetit ore:
Sic ſe cum damno decipit ipſe ſuo.

Ridicu-

Ridiculum: captando canes imitaris, auare:
Fas ergo ſortem te quoq; ferre canum.

Enſe recidendum.

EMBLEMA XXIV.

Ad Georgium Obrechtum Iuriſconſultum.



Corniger è latebris ſerpentem protrahit atrum
Ceruus: & enectum protinus ore vorat.
Tollere cæde malos, ferroq; domare nocentes;
Iudicis eſt virtus magna, ducisq; boni:
Qui finem ſtatuit cupedinis, atq; timoris:
Et rectum paruo tramite monſtrat iter,
Culpam pœna premit comes: immedicabile vulnus
Chirurgus ferro ſanat, & igne, bonus.

Parcere ſi cupit huic; iam pars ſincera trahetur:
Triſtia ſupplicium crimina triſte decet.
Crimen vbiq; frequens, ſi laudi noxia iuncta eſt:
Tunc virtus, & honos, resq;, ſalusq; perit.

Summum ius, ſumma crux.

EMBLEMA XXV.

Ad Simonem Oſtermannum Iuriſconſultum.



Ponte ſuper tenui transgreſſa capella capellam:
Obuia quando aliter cedere neutra poteſt:
Præterit, atq; viam ſic inuenit arte: negatam
Natura: pontem circumit vnda rapax.

Multa ſuo multis præſtat concedere iure:
Quàm fruſtrà lites velle, forumq́ ſequi.
Nam pro iure ſuo licet haud agere omnia cuiquam:
Lis litem, noxam noxa ſubinde parit.
Sic Alcibiades in litem ritè vocatus:
Clàm ſeſe celat, iudiciumq́ fugit.
Sis æquus, quantumq́ potes, fora triſtia vita:
Dimidium toto plus aliquando puta.

Boni paſtoris eſt, tondere pecus, non deglubere.

EMBLEMA XXVI.



Ad Alexandrum Hunlinum Iuriſconſultum.

CAptat aues auceps nido: ſed matre relicta:
Qui tandem pullos ſperat habere nouos.
Paſtor oues tondet: quas ſi deglubere tentet:
Ampliùs haud lanam, lacq́;, ſerumq́; dabunt.
Amputat arboreas frondes radice colonus
Illæſa: noua qui creſcere ligna cupit.
Subiectos princeps bonus haud exugit iniquis
Cenſibus: incolumes qui ſtudet eſſe ſuos.
Namq; quod ex lacrymis oritur, nil fœdius auro:
Qui gentem ditat, rex quoq; diues erit.
Certus apud populum cenſus, poſſeßio certa:
Si ſit opus, largas ſemper habebit opes.
Certa ducum peſtis, regnorum certa ruina:
Si fidos onerent magna tributa viros.
Splene velut tumido, tabeſcit corpus: iniquo
Sub duce, ſic populi quæſtus vbiq; perit.

Cum

Cum laruis luctari nefas.

EMBLEMA XXVII.

Ad Joannem Ortelium Cygnocomæum.



QVum mortalis homo ſit: functos morte, nec ore
Lædere, nec ſcriptis, opprobrijsq́; decet.
Mortalis Theſeus, ſortis memor, oſſa ſuorum
Et lauat, & tumulo condit, humoq́; tegit.
Debilis eſt animi, cum laruis belligerari:
Inſultare bonis poſt ſua fata viris.
Sic magni quondam ſuperatum robore Achillis,
Quiſq; petit telis Hectora lixa ſuis.
Sic catuli mordent extinctum cæde leonem:
Telaq́; ſic cæſo quiſq; cruentat apro.

Dij melius: benè nos meritis benè dicere fas eſt:
Grande nefas tumulos eſt violare ſacros.

Firmamentum familiæ vxor.

EMBLEMA XXIIX.

Ad Gregorium Berſmannum Poëtam, & Philoſophum.



CErnis, vt obliquo funem vir torqueat ocno:
Quo rabidam paſcit turpis aſella famem.
Sedulitas quorſum prodeſt, & cura mariti:
Prodiga ſi coniux eſt ſine fruge domi?
Non minor eſt virtus, quàm quærere, parta tueri:
Hoc opus eſto viri: coniugis iſtud opus.

Magnum

Magnum vectigal, vxorem viuere parcè:
Semper habet, ſemper quæ ſibi deeſſe putat.
Seruat fida domum coniux, & cenſibus auget:
Paulatim magnas prodiga carpit opes:
Quodq́, magis miſerum eſt, vrit ſine torre maritum:
O pereat, gaudet lædere ſi qua virum.

Labor omnia vincit.

EMBLEMA XXIX.

Ad Nicolaum Fritſchnerum Leorinum.



QVæſiti formica tenax, patienſq́, laborum:
Exemplo frugi nos monet eſſe ſuo.
Paruula, vere nouo, flores apis ingerit alueo:
Compleat vt dulci ſedula melle fauos.

Argutam texit ſublimis aranea telam:
Et leue deſerta ſub trabe nectit opus.
Quid faciant homines? faciunt ſi talia vermes:
Qui piger eſt, nihili vir ſolet eſſe nimis.

Res amicos inuenit.

EMBLEMA XXX.

Ad Iacobum Cellarium Auguſtanum.



QVantum quiſq; ſua numorum poſſidet arca:
Tantum habet & fidei.
Magnus eris, ſi diues eris: dat cenſus honores,
Cenſus amicitias.
Ecquis enim ſterilem non aſpernatur amicum,
Qui ſit egens, & inops?

Magna-

Magnarum poſſeſſor opum, benè notus amicos
Poßidet innumeros:
Indelibatas, cui dum fortuna ſecunda eſt,
Quiſq; tuetur opes:
Sin mala; iam ſolus fuerit, comitum agmine multo
Qui modò cinctus erat.
Sic raræ veniunt ad ſordida tecta columbæ:
Agmina granifera,
Horrea ſic nunquam formicæ ad inania tendunt.
Vtilitate probat
Vulgus amicitias. vbi opes, hîc cernis amicos:
Pauper vbiq; iacet.

Simplicitas veri ſana.



EMBLEMA XXXI.

Ad P. Meliſſum Schedium P.L.

ALbo candidius quid eſt olore,
Argento, niue, lilio, liguſtro?
Fides candida, candidiq́; mores,
Et mens candida candidi ſodalis.
Te Schedi niueam fidem Meliſſe,
Moratum benè, candidamq́; mentem
Poſsidere ſodalis integelli:
Liguſtro niueo nitentiorem:
Argento niueo beatiorem:
Albis liliolis fragrantiorem:
Cygnis candidulis decentiorem:
Armorum niueus docet tuorum
Cygnus: liliolis decorus albis:
Phœbea redimitus ora lauro.
Albo candidior cygnus liguſtro:
Argento precioſior beato:
Cui nec par eboris decus, nec auri,
Nec gemmæ valor eſt, nitorq́; pulcræ:
Et ſi pulcrius eſt in orbe quicquam.

Alter-

Alternis facilis labor.

EMBLEMA XXXII.

Ad Valentinum Forſterum Iuriſconſ.



ALcedo, medio bruma cum frigore natas
Credit aues pelago, nidificatq; vago.
Tunc freta nec ventis agitantur ſtrata, nec vndis:
Bis ſeptem, volucris dum fouet oua, dies.
Sirius exortus facit Alcedonia Muſis:
Iuſtitio triſti nunc fora clauſa manent.
Fœtificant bruma volucres. æſtate licebit
Carmina nos miſſo fingere blanda foro.
Manè ſub auroram, quum ſpirat Eteſia flabra
Eurus: & alma gerit ſpicea ſerta Ceres:

Fas

Fas haud merſari nos iam ciuilibus vndis:
Aethereis virgo donec aditur equis.

Ingenium ſi intenderis, valet.

EMBLEMA XXXIII.

Ad Nicolaum Vigelium Iuriſconſultum.



Fit melior, fit limpidior fons ſæpiùs hauſtus:
Purgatus dulces eiaculatur aquas.
Aera nitent vſu: ſplendeſcunt cote metalla:
Ceu ſplendet crebra vomer adactus humo.
Sic labor ingenium, mentem ſic excolit vſus:
Sic mores ſtudio conuenienter eunt.
Tetra ſed ingenium corrumpunt ocia doctum:
Ceu capiunt vitium, ni moueantur, aquæ.

Ceu poſitum lædit rubigo ſcabra metallum:
Corruptusq́; perit vomer inerte ſitu.
Qui ſapit, exercet ſtudium, perceperit artem
Quamlibet: ingenium cura, laborq́; iuuat.

Cura ſapientia creſcit.

EMBLEMA XXXIV.

Ad Chriſtophorum Schillingum Francoſtenium.



SIue volat, Palamedis auis, grus, ſiue quieſcit:
Arreptum lapidem geſtat vbiq; pede:

Peruigilis ſignum curæ, mentiſq́ ſagacis:
Ceſſantem in vitium ne malus error agat.
Odi homines ignaua opera, vigilanteq́ lingua:
Stat vigili virtus firma labore diu.
Scilicet ars vſu, cura ſapientia creſcit:
Materiem vitijs dat diuturna quies.
Qui felix, & qui prudens vult eſſe, laboret:
Commoda Dij vendunt cuncta labore graui.
Sic & Ariſtoteles fertur plerunq; lapillum
Peruigil in ſomnis ſuſtinuiſſe manu.
Segnitiem fugiat, ſtudij qui flagrat amore:
Ignauas odit ſorsq́, Deusq́ preces.

Aliud.

Somno Stagirites vacaret ne nimis:
Ad lectulum peluim locabat æream:
Manuq́ ſuſtinens lapillum dextera,
Mox decidentis excitabatur ſono.
Quicunq; diſcendi flagrat cupidine,
Sopore ſolui non ſinat ſe languido.

ΞΕΝΙΩΝ ΔΕ ΤΕ ΘΥΜΟΣ ΑΡΙΣΤΟΣ.

EMBLEMA XXXV.

Ad Henricum Paxmannum Medicum.



QVis putet? è puro Gryps nidum conſtruit auro:
Occupat & celſæ rupis in arce locum:
Solus aues vincit cunctas qui naribus vncis:
Quem leo, quem tigris, quem pauet acer eques.
Cuius vt è nido ſub rupem decidit aurum:
Accola finitimi quod legit Indus agri:
Sic quos heroas mundi, rerumq́; potentes,
Sublimi magnus vult Deus eſſe loco:

Imperij tueantur opes, ceu munera Diuûm:
Participes alios vt ſimul eſſe velint:
Præſertim ſanctæ pietatis, & artis alumnos
Ingenuæ: per quos regna, domusq́ vigent.
Diuitis hæc auri virtus eſt vna: benigna,
Qui proſunt alijs, mente iuuare bonos.

Vnica ſemper auis.

EMBLEMA XXXVI.

Ad Chriſtophorum Herdeſianum Iuriſconſultum.



Quæ thuris lacrymis, & ſucco viuit amomi:
Fert cunas Phœnix, buſta paterna, ſuas.

Vnica ſemper auis: pater, & ſibi filius ipſa:
Morte ſua vitam dat ſibi ſola nouam.
Nam quoties ſuper orbe decem iam ſecula vixit:
Supremi moriens naſcitur igne rogi.
Sic Chriſtus vitam ſibi reddit morte, ſuisq́;
Chriſticolis: ſibi quos iungit amore pari.
Verus homo, verus Deus vnus, & arbiter æui:
Lumine qui luſtrat, numine cuncta fouet.
Felix, qui Chriſto per ſancta lauacra renatus:
Amne ſacro vitam dum rapit, amne capit.

TH. B. VV.

Phœnicem (ſi vera ferunt) mors ipſa refingit:
Huic ſit vt vnus aui vitaq́;, morsq́; rogus.
Ite ô carnifices: ſanctorum ſancta cremate
Corpora: quos vultis perdere flamma parit.

Fide, ſed cui, vide.

EMBLEMA XXXVII.

Ad Georgium Frobenium Juriſconſultum.



SVb tectis hominis, prænuncia veris, hirundo
Nidificans: homini non habet vſq; fidem.
Par vitium cunctis, & nulli credere velle:
Sed medium ſapiens inter vtrunq; tenet.
Fide, ſed ante vide, cui tutò fidere poßis:
Et quia non tutum eſt fidere, fide Deo.

Renoua-

Renouata iuuentus.

EMBLEMA XXXIIX.

Ad Philippum, Ioach. F. Camerarium Iuriſconſultum.



ALituûm regina potens, & fulminis expers:
Sola aquila eſt ſummi fida miniſtra Iouis.
Quæ ſi longæua nimium ſit tarda ſenecta:
Flumine ſe liquido terq; quaterq; lauat:
Subuolat hinc, Solisq; capit de lumine lumen:
Et renouat pennas, membraq; feſſa ſibi.
Qui pius eſt, ſacro luſtratus fonte ſalutis:
Fulmineo nunquam læditur igne Iouis.

Namq;

Namq; fide certa numen cœleſte tuetur:
Sollicitatq́; ſuo lumine lumen heri.
Sol eſt iuſtitiæ Chriſtus, vitæq́; perennis:
Quem qui corde videt ſimplice, ſaluus erit.

Poëtice germana Oratoriæ.

EMBLEMA XXXIX.

Ad Nicolaum Rudigerum Piſouernatem.



QVis neſcit geminas quondam, Pandione natas,
Germanas, in aues auolitaſſe vagas?
Aedes vna ſubit Progne: petit altera ſiluas
Triſtis, & indignum flet Philomela nefas.

Sic ge-

Sic geminas artes nemo negat eſſe ſorores:
Quas bonus orator, quáſve Poëta colit.
Scilicet ars vatum ſiluas, lucosq́ frequentat:
Cum Muſis quos Dÿ ſpontè, Deæq́ colunt.
Eloquÿ virtus eſt vrbis alumna, foriq́:
Pacis fida comes ſemper, amica togæ.
Quid reſtat? quantum Philomelæ cedit hirundo:
Tantum vox vatum plus valet eloquio.

Sat citò, ſi ſat benè.

EMBLEMA XL.



Ad Chriſtianum Egenolphum P. L.

PArturit ingentem prolem bos Luca: per annos
  Fœta decem: parit hinc nobile dentis ebur:
Clarius argento niueo, canoq́ ligustro:
  Quod dat fulcra toris, & ſimulacra Ioui.
Poſt hyemem nonam, nonam poſt deniq́ meſſem
  Quæ ſunt cœpta, diem ſcripta videre placet.
Sic tutum eſt: quando neſcit vox miſſa reuerti:
  Corrigit, haud fœdat multa litura librum.
Sic lambit catulos informes vrſa: ſuaq́
  Pullos viuificat ſic leo voce nouos.
Cum Ioue Mnemoſyne noctes cubat vſq́ nouenas,
  Muſarum ſobolem ſic paritura nouem.
Quod citò fit, perit hoc citò: nixa repentè catellos
  Dum properat, cæcos ſic parit hercle canis.

NICO-

NICOLAI REVSNERI LEORINI SILESII, IC. ET P. C.

EMBLEMATVM LIBER TERTIVS.

Aetas aurea.

EMBLEMA I.



Ad D. Hermannum Comitem à noua Aquila.

AVrea Saturno quondam ſub rege fuerunt
Secula: ceu vatum Muſa recenſet anus.
Cur? virtus, probitas, æquum, rectumq́, bonumq́,
Et ius, & pietas floruit, atq́ fides.
Per ſe quando cibos tellus inarata creauit:
Et mel, & nectar, lacq́, merumq́ dedit.
Pax fuit, haud bellum: nec hyems, ſed perpetuum ver:
Nullus vbiq́ labor: nullus vbiq́ timor.
Ferrea nunc ætas agitur, dominata tyrannis:
Sic fera, ſic verè ferrea turba ſumus:
Quando nocens ferrum, ferroq́ nocentius aurum
Prodijt: & ſecum ferrea bella tulit.
Iam virtus, probitas, æquum, rectumq́, bonumq́,
Et ius, & pietas exulat, atq́ fides.
Iamq́ cibos vix, ac ne vix dat terra coacta:
Fellis amaritie plena redundat humus.
Iam pro vere gelu longum, pro pace duellum:
Magnus vbiq́ labor: magnus vbiq́ timor.

Aetas argentea.

EMBLEMA II.

Ad Bartholomæum Vuelſerum Patr. Auguſtanum.



SVb Ioue pigra quies, in durum verſa laborem:
Materiam morbis ſæpe, maliſq́ dedit.
Tunc homines cœpêre domos, & tecta ſubire:
Sciſſa dedit fructus vomere terra ſuos.
Tunc fulmen cœpit regale, & fulmine digna:
Tunc breuior ſubitæ mortis aperta via eſt.
Sic ruit in peius mortalis vita: ſed omni
Qui ſe fortunæ præparat, ille ſapit.

Vinum, ſanguis terræ.

EMBLEMA III.

Ad Theodorum Zuingerum Medicum, & Philoſophum.



Contemptrix ſuperûm, monſtroſa propago Gigantum:
Auſa Iouis quondam Marte ſubire domum:
Fulmineo turbata cadit Iouis igne: ſed albas
Protinus in vites oſſa ſepulta migrant.
Fit vinum, ſanguis: terræ bibit ergo cruorem:
Qui bibit immodicum, te duce Bacche, merum:
Sanguineas bibit cædes, & bella cruenta:
Et lites notas, exitiumq́ ſuum.

Hinc

Hinc Pharios legimus reges, nec vina bibiſſe:
Nec Dijs, quum facerent ſacra, litaſſe ſuis.
Sic & Alexandrum, de ſanguine nata Gigantum,
Androcydes Magnum ponere vina monet:
Quòd, velut eſt homini lethale cicuta venenum:
Sic nimio moritur pota cicuta mero.

Hâc virtutis iter.

EMBLEMA IV.



Ad Vitum Ortelium Vinshemium
Medicum.

Aequora

AEquora dum mulces poſito Neptune tridente:
Lataq́; dum Triton littora voce replet:
Iam venti ponunt: iam ceſſant nubila cælo:
Inq́; ſuos redeunt flumina magna ſinus.
Surgit humus: creſcunt loca, decreſcentibus vndis:
Moxq́; ſolum profert gramina, ſilua comas.
Solus cum ſola ſupereſt homo coniuge Pyrrha
Deucalion: hominum factor in orbe nouus:
Parnaſſi quos arx vmbroſi celſa tuetur:
Dum ſcelerum pœnas cætera turba luit.
Muſarum iuga ſumma petat ſic crimine liber:
Cui virtus, & laus, & bona fama placet.

Mille hominum ſpecies.

EMBLEMA V.

Ad Petrum Albinum Niuemontium.



DVm genus humanum reparat cum coniuge Pyrrha
Deucalion: ſortes poſcit, aditq; Themin.
Illa caput velare monet: tunicisq; recinctis
Frigida poſt tergum mittere ſaxa manu.
Parua mora eſt: vtriuſq; volant poſt terga parentis:
Paulatimq; anima mollia ſaxa calent.
Nam maribus nudas oſtendit Pyrrha puellas:
Quos format iactu vir, reparatq; ſuo.

Inde genus durum ſumus, experiensq́; laborum:
Felix, naturam qui ſuperare poteſt.

Sperne voluptates.

EMBLEMA VI.

Ad Joan. Schoſſerum Æmylianum.



DVm mouet iniuſtum Phineus in Perſea bellum:
Multaq́; fert hoſtis vulnera, multa facit:
Gorgone cum ſocijs viſa ſtupet illicò: tandem
Sic lapis immotus fit, rigidusq́; ſilex.
Palladis armatus clypeo, cui nobilis heros
Mercurij Perſeus amputat enſe caput.

Si neſcis, hæc eſt Gorgo damnoſa voluptas:
Illecebris nimium blanda, potensq́ ſuis.
Qui ſapit, auertit vultus hinc ſponte modeſtos:
Si videt hanc ſtultus, ceu lapis, inde riget.
Quem Mars non aſtu vincit, ferroq́: voluptas
Inuictum vincit ſæpe maligna virum.

Vitæ ſapientia cuſtos.

EMBLEMA VII.

Ad Reinerium Solenandrum Medicum.



STratus humi Python Phœbi iacet ecce ſagittis:
Terribilis ſerpens corpore, & ore minax.

Qui modò peſtifero preſsit tot iugera ventre
Iam cinis, & puluis, iam nihil eſſe poteſt.
Pythia iam celebret ſecuro Græcia corde:
Laurea victoris cingat honora caput.
Prima docens rectum, cuſtos ſapientia vitæ eſt:
Cum vitijs, morbos pellit, & omne malum.

Vigilandum medico.

EMBLEMA IIX.

Ad Joannem Hermannum Medicum.



CVr tibi trux anguis ſacer eſt, Aſclepie magne?
An quòd fert medicam ſæpiùs anguis opem?

An quòd

An quòd & inſomnis velut eſt, & peruigil anguis,
Peruigiles medicos ſic decet eſſe bonos?
Sic puto: ſic te Roma colit, ſub imagine tali:
A ſæua per te libera facta lue.
Inſula templa videt circumflua Tybridis altis
Iuppiter hìc magnus proxima ſana tenet.

Ne quid nimis.

EMBLEMA IX.

In Criticum.



LErnæam, turba capitum centuplice quondam
Terribilem, creuiſſe ferunt per damna ſubinde:
Et geminas vires reparaſſe, impunè reciſam,
Quam tandem Alcides ferro, & face contudit, hydram.

Fæcundum omne malum eſt: fæcundo vulnere ſemper
Fertile. ſi fibras omnes reſecare malorum;
Si næuos omnes, ſi vis errata notare
Cuncta malus: caput excetræ fortaſſe ſecabis:
Proq; vno vitio, vitium lucrabere duplex
Crudelis nimium exactor, cenſorq; ſeuerus:
Qui rectum eſſe putat, vitijs ignoſcere nullis.
Vnicuiq; dedit vitium natura creato.

Quiſque ſuos patimur manes.

EMBLEMA X.



Ad Hieronymum Arconatum Leorinum.

Nocte

NOcte ſatæ Stygia, furiæ tres: dira Megæra,
Triſtis & Alecto, Tiſiphoneq́ furens:
Sunt ſpeculatrices ſcelerum, vltricesq́ malorum:
Quod ſuadent, mulctant protinus omne nefas:
Inſpirantq́ graues animos, rabiemq́ metumq́:
Menti, non membris vulnera dira ferunt.
Scilicet hæ colubræ ſunt, hæc flagella, facesq́:
Mens hominis requie quum nequit ægra frui.

Tria animi monſtra.

EMBLEMA XI.



Ad Chriſtophorum Reuſnerum FR.
Germanum.

QVæ Strophades habitant Harpyiæ: triſtis Aello,
Ocypeteq́ ferox animis, & dira Celæno:
Sunt auidæ volucres: fraudantes Phinea menſis
Appoſitis olim: contactuq́ omnia turpi
Fœdantes: & non tantùm ædibus eijcientes.
Quem redimunt tandem iuuenes, Aquilone creati,
Præſtantes animis, Calais, Zethesq́ ſuperbis:
Aurea cum Minyis dum vellera, Phaſis ad vndas,
Per mare non notum, prima petiêre carina.
O quàm difficilis res eſt, & plena pericli,
Inuida mens, & auara, ſuperbaq́: monſtra domantur
Quæ ſi non virtute animi, probitateq́ vitæ:
Cum fama, res atq́ fides mox interit omnis.

Macerat

Macerat inuidia.

EMBLEMA XII.

Ad Chriſtophorum Vuolſium Annæmontium.



POlypus exſtimulante fame ſua brachia rodit:
Sub brumam præda deficiente ſua.
Inuidus alterius rebus macreſcit opimis:
Et telis ſeſe conficit ipſe ſuis.
Ferrugo rodit ferrum, lignumq́ teredo:
Et tineæ damno veſtibus eſſe ſolent.
Liuor edax videt ingratos; carpitq́ videndo
Succeſſus hominum: carpitur ipſe ſimul.

Si neſcis, hæc eſt Matreæ bellua turpis:
Quæ ſeipſam comedit, ſuppliciumq; ſuum eſt.
O pereat, quiſquis præſtantibus inuidet auſis:
Vtq; latens ima vipera ſerpat humo.

Liuor, iners vitium.

EMBLEMA XIIII.

Ad Nathanem Chytræum P. L.



D*Vm lymphas turbat Latonæ ruſtica turba:*
Et vetat exiguo rore leuare ſitim:
Indignata Dea eſt meritò: potumq; vetantes
Ruricolas, ranas protinus eſſe iubet.

Colla

Colla tument: albet venter: vox rauca coaxat:
Terga caput tangunt lubrica: ſpina viret:
Liuor, iners vitium, mores non exit in altos:
Et ſtolidos animos, degeneresq́ notat.

ΑΓΑΜΟΣ ΓΑΜΟΣ.

EMBLEMA XIV.

In Prognen.



QVid, Progne, credis Germanam ſtulta Tyranno?
Sic committis ouem credula nempe lupo.
Sic te, Germanamq́ tuam malè prouida perdis:
Atq; tuo cumulas crimine crimen heri:

Quum luges non ſic lugendæ fata ſororis:
Et mactas natum, dilaniasq́ tuum.
Cum truce difficile eſt vxorem habitare tyranno:
Quem cruor, & cædes, bellaq́ ſola iuuant.
Plus valeat pietas in amore, fidesq́ iugali:
Quàm quæſtus, & opum pernicioſus amor.

Mala cauſa ſilenda.

EMBLEMA XV.

Ad Joan. Fridericum Hainzelium
Patr. Auguſtanum.



D*Vm cultus superûm ſpernunt, feſtumq́ profanant:*
Et leuibus fallunt tempus, opusq́ iocis:

Protinus

Protinus in volucres abeunt Mineides has; quæ
A ſero verum veſpere nomen habent.
Iamq́ petunt tenebras, & Solis numina vitant:
Tecta frequentantes fumida, nocte volant.
Mordere os hominem, quàm turpia dicere, præſtat:
Luce ſacra ſolùm mens vacet, osq́ Deo.

Ama quod fœmina debes.

EMBLEMA XVI.

Ad Martinum Zeidlerum Iuriſconſ.



SVppoſuit laſciua femur quòd turpe parenti
Nyctimene, lucem, noctua facta, fugit.
Conſcia ſic culpæ, celat miſeranda pudorem:
Et latet in tenebris, fletq́, gemitq́ nigris:

Quam fugiunt & aues, & pellunt æthere toto:
Nec reperit tutum pulſa repulſa locum.
Imperat heu quoties menti furioſa libido
Fœmineæ: rectum neſcit habere modum.
Quæ ſemel amiſſi rupit ſi frena pudoris:
Mente furens cæca perpetrat omne nefas.
Quod licet, ingratum eſt: quod non licet, acriùs vrit:
Semina nequitiæ frangere nemo poteſt.

Credula res amor eſt.

EMBLEMA XVII.



Ad Quirinum Auſtriacum Teublicium.

Prima

PRima Venus iuueni Pagaſæo donat Iynga:
Colchidos hac primus conciliatur amor.
Credula res amor eſt: blandumq́; libido venenum:
Quò lubet, hæc homines noxia torquet Iynx.
Si quis amat, quod amare nefas eſt, turpiter ardet:
Mens perit huic, ſimul huic resq́; fidesq́; perit.
Si ſapis, illecebras fuge turpis amoris: iynge
Tam fœda decet haud cor iuuenile trahi.

Aliud.

Iynx amoris, & voluptatis nota eſt:
Quæſita philtris: fortè quòd quóuis agat
Antè, & retrorſum colla in orbem liberè.
Sic & voluptas corda agit mortalium:
Mirumq́; torquet in modum, quoquò lubet.

Fides Deo ſacrificium maximum.

EMBLEMA XIIX.

Ad Jeremiam Reuſnerum Germanum.



DVm iaculo Atrides transfigit in Aulide ceruam
Ignarus: nimium læſa Diana furit.
Indignata mari ventos immittit, & vndis:
Sæuit hyems: peſtis ſæua moratur iter.
Sanguine virgineo placandam virginis iram
Conſultus Calchas protinus eſſe monet.
Stat virgo caſtum iam profuſura cruorem,
(Quis putet?) ante aras Iphigenia ſacras:

Victa

Victa Dea eſt. nam ſuppoſita, pro virgine, cerua,
Sacra probans: ſacris præficit inde ſuis.
Non fibræ pecudum, non placant exta Tonantem:
Sed, quæ ſit ſimplex, & ſine labe, fides.

Vltorem vlciſcitur vltor.

EMBLEMA XIX.

Ad Andream Jociſcum Thallorium.



Contemptor ferri, nulloq́ forabilis ictu:
Cum forti confert Cygnus Achille manum.
Vulnus erat nullum: ſanguisq́ in corpore nullus:
Quamuis immiti cæſus ab hoſte foret.

Parua mora eſt: victor curru fremebundus ab alto
Deſilit: & Cygnum cominùs enſe petit:
Cedentemq́; ſequens inſtat, turbatq́; ruitq́;:
Faucibus eliſis eripit inde animam.
Contulit in volucrem corpus Deus æquoris albam:
Mortuus, & viuus nomen oloris habet.

Seipſum vincere, maxima victoria.

EMBLEMA XX.

Ad Albertum Stibarum, Eq. Francum.



FOrtis, & inuictus victor, Telamonius Aiax:
Qui ferrum vicit toties, ignemq́; Iouemq́;:

Quiq́ tot egregios heroas vicit, & armis
Perdomuit toties: vna nunc vincitur ira:
Inuictumq́ virum vincit dolor, atq́ cupido.
Sic nemo Aiacem potuit ſuperare, niſi Aiax:
Dum nimis impatiens, grauioris morte, repulſæ:
Lethiferum condit ſua per præcordia ferrum.
O quantum decus eſt, ſe vincere poſſe per iram:
Maxima, ſi neſcis, victoria vincere ſeipſum eſt.

Muſicæ, & Poëticæ vis.

EMBLEMA XXI.



Ad Dauidem Nephelithum Mathematicum.

Terribiles Orpheus tigres, rabidosq́; leones,
Et volucres cantu lenijt, atq; feras.
Saxa ſono blandæ mouit teſtudinis alter
Amphion: Thebas dum ſtruit abſq; manu.
Scilicet agreſtes animos, hominesq́; feroces
Mollijt: & populos imbuit arte rudes:
Quos blanda flexit prece comiter, eloquioq́;:
Et quos ius docuit, iuſtitiamq́; ſequi.
Muſica ſic multum, multum diuina Poëſis,
Concentu numeris conueniente, valet.
Si vox eſt, canta: genius ſi, carmina ſalta:
Commoda ſed vitæ carmina, grata Deo.
Carminibus mentes, mulcentur cantibus aures:
Fontibus ætherijs vtraq; vena fluit.

Maior poſt ocia virtus.

EMBLEMA XXII.

Ad Paulum Conſtantinum Phrygionem Medicum.



DVm rapidus torret ſitientes Sirius agros:
Et Sol Herculei terga leonis habet:
Ingenij vires recreare, labore remiſſo,
Me iuuat: & modica, Paule, quiete frui.
Quod caret alterna requie, durabile non eſt:
Membra quies renouat, feſſaq; corda leuat.
Sic ferus Alcides clauam poſuiſſe cruentam
Fertur: & inuicta fuſa tuliſſe manu.

Nec ſapiens ſemper fuit, aut facundus Vlyſſes:
Errantes tenuit per mare ſæpe rates.
Bella nec aſſiduè geſſit violentus Achilles:
Sed cithara luſit ſæpiùs, atq; lyra.
Tempeſtiua graues leuat intermiſſio curas:
Attenuat nimius corpora fracta labor.

Aurora Muſis amica.

EMBLEMA XXIII.



Ad Jacobum Monauium Patr.
Vratiſlavienſem.

Lutea

LVtea dum Cephalum tenebris Aurora fugatis
Manè videt laqueos tendere ſæpe feris:
Quamlibet inuitum, rapit: impatiensq́ maritum
Deperit: & donis hunc, opibusq́ beat.
Quiſquis amat Muſas, Auroram diligit ille
Peruigil: & ſtudijs, mane rubente, vacat.
Nam Muſis aurora ſacris Dea fertur amica:
Dum cerebrum, ſenſus, mens, ratioq́ viget.
Sic homo doctrina, ſic vſu creſcit, & arte:
Quam cenſus, vitæ quam comitatur honos.
Infelix, quicunq́ piger ſic ſtertere manè
Suſtinet: & ſomnos gaudia magna vocat.
Qui viuit, vigilat: mors eſt velut altera, ſomnus:
Pro lucro damnum cui placet, inde feret.

Improba

Improba Siren deſidia.

EMBLEMA XXIV.

Ad Vuolfgangum, & Carolum Rechlingeros, Patr. Auguſtanos.



PEr varios caſus, per tot diſcrimina rerum,
Dum longas Ithacus itq́, reditq́, vias:
Sirenum voces, & Circes regna relinquit:
Blanda nec Atlantis tunc remoratur iter.
At ſocijs Circe dum pocula fœda miniſtrat:
Excors, & turpis ſus fit hic, ille canis.

Quid

Quid monet hoc, Vuolfgange, rogas, & Carole? fratrum
Par benè compoſitum, pectora cara duo.
Si vos laus, & fama iuuat: virtutis amore
Difficiles pigeat ne ſuperare vias.
Si nihil infeſti durus vidiſſet Vlyſſes:
Fortè magis felix, at ſine laude foret.
Sed blandæ mortes Circes, & gaudia dira
Sirenum, celeri ſunt fugienda pede:
Nempe libido furens, & non conceſſa voluptas:
Scilicet hæc homines efficit vſq; feras.
Quam circum volitat nigris infamia pennis:
Et dolor, & ſi quid triſtius eſſe poteſt.

Forma viros neglecta decet.

EMBLEMA XXV.

Ad Matthæum Ehamium P. Auguſtanum.



SAlmacidis qui fonte lauat vir, ſemiuir exit:
Molleſcit tactis illicò corpus aquis.
Quiſquis deſidiam ſectatur, luxuriamq́;
Qui lautè comedit, qui lauat, atq; bibit:
Qui fingit vultus, ornatq́; ſubinde capillos
Ad ſpeculum: captans ſic ſimulacra ſui:
Nec ſua cum duris ſudoribus ocia miſcet:
Nec, quod agat ſemper, quodq́; ſequatur, habet:

Deniq;

Deniq; qui ſe ſtultus amat: ſine corde virili
Semimarem meritò dixeris eſſe virum.
Forma viros neglecta decet: cultusq; virilis
Legitimum finem conuenienter amat.

Noſce teipſum.

EMBLEMA XXVI.

Ad Georgium Henricum Stibarum,
Eq. Francum.



D*Vm ſibi quiſq; placet, nimium ſibi credit: & audet*
Se ſupra ſortem tollere quiſq; ſuam:
Nec ſe, nec ſua noſcit iners: aliosq; ſuperbus
Spernit: & eſt vitij cæcus amore ſui:

Vltrix ſemper adeſt Nemeſis: ſtupor occupat illum,
Atq; pudor: ſua qui, ſeq; ſuperbus amat.
Sic quondam liquidis vultus ſpeculatus in vndis
Narciſſus: nimium dum placet ipſe ſibi:
Liquitur, inſanoq; ſui tabeſcit amore:
Et ſenſim tecto carpitur igne miſer.
Sola dolens huic commoritur reſonabilis Echo:
Spreta olim: iam nunc vox, ſonus, aura, nihil.

Tecum habita.

EMBLEMA XXVII.



In Attalum.

Circuit

CIrcuit horrentis dum pelle leonis aſellus:
Turpiter exutus, fuſteq́; cæſus abit.
Marſya, dum propria non vis in pelle quieſſe:
Phœbeis digitis excoriatus obis.
Sic elephantina quoniam Thraſo pelle ſuperbit:
Stultitiæ arguitur proditor ipſe ſuæ.
Si ſapis, eſſe tua contentus ſorte memento:
Intra fortunam diſce manere tuam.
Quem natura locum tribuit, ſatis eſſe putato:
Si, quod habes, non vis, iam miſer eſſe potes.
Nam quid habes, quod non habeas quoq; munere Diuûm?
Et quò plura negas tu tibi, plura feres.

Inter vtrunq; tene.

EMBLEMA XXIIX.

Ad Danielem Hermannum Boruſſum.



SVbuolat ad cœlum ceratis Dædalus alis:
Sic labyrinthæo tutus ab hoſte fugit.
Icarus it comes huic puer: inter vtrunq; volare
Quem monet, & media tutiùs ire via.
Celſior it, pennisq; puer labentibus orbus
Fatales proprio nomine ſignat aquas.
Qui ſe non noſcit, ſed concipit æthera mente:
Et ſupra ſortem qui nimis alta ſapit:

Maio-

Maioresq́; ſuo pennas extendere nido
Gaudet; & à media flectere ſæpe via:
Sentiet Icarium fatum: ſublimibus auſis
Excidet: & vitam claudet in orbe miſer.

Quò non liuor adit?

EMBLEMA XXIX.

Perdicis Proſopopœia.



QVæ proſunt alijs, ars, virtus, ingeniumq́;:
Me miſerum miſeræ nempe dedêre neci.
Dædalus artificem dextram faber inuidet eheu:
Et me præcipitem Palladis arce iacit.

Sed

Sed benè, Palladiæ quod ſeruor numine dextra:
Perdicem me ſic illicò fecit auem.

Homo homini lupus.

EMBLEMA XXX.

Ad Hieronymum Reuſnerum Leorinum.



L*Yncus rex Scythiæ ferus, Arcadiæq́; Lycaon,*
Quàm benè nomen habet, ſæuus vterq́;, lupi.
Pœna fit hæc ſceleris: namq́; hoſpes, vt hoſtis, vterq́;
Dum parat hoſpitibus damna, fit inde lupus.
Aut homini Deus eſt homo; ſi bonus: aut lupus hercle,
Si malus: ô quantum eſt eſſe hominem, atq́; Deum.

Quid

Quid non ebrietas deſignat? Horat.

EMBLEMA XXXI.

Ad Joannem Poſthium Med. & P. L.



LVxus, dulce malum, iucunda fallere fronte:
Appoſitam mortem luxus habere ſolet.
Ingluuies, res fœda, vorax; res crapula turpis:
Sobria vita pios, menſaq́; parca decet.
Non ſic Aetna grauis, non ſic Vulcania tellus
Aeſtuat: vt nimio cor iuuenile mero.
Scilicet inflammant vitales vina medullas:
Et furiant mentes, ingeniumq́; premunt.

Quid? quod nequitiam pariunt, & crimina magna:
Hinc pudor, hinc probitas, hinc metus omnis abeſt.
Quid cædes, rixasq; loquar? quid deniq; morbos?
Crapula quos cerebro, ventriculoq; parit.
Diſcite mortales vino moderatiùs uti,
Atq; cibo: ſuperis vita modeſta placet.

Medio tutiſsimus ibis.

EMBLEMA XXXII.



Ad Joan. Fridericum VVelſerum,
Patr. Auguſtanum.

Pulcra

PVlcra magiſtratus ſpecies, & forma regendi:
Sed res ſolicito plena timore manet.
Non honor, aſt onus eſt: pœnam pro munere poſcit
Neſcius, affectat qui ſibi regna dari.
Namq; grauis res eſt, & eget moderamine certo:
Crebra per inſidias, per mala mille via eſt.
Nec plebem regere eſt in promptu: ſæpe repugnat
Stultaq; ſub imperio dum putat eſſe graue.
Si neſcit rex, quà commiſſas flectat habenas:
Nec medium prudens, inter vtrunq;, tenet:
Siq; libet ſtimulis, quàm loris fortiùs vti:
Iam ſubito caſu, cum Phaëthonte, ruit:
Qui dum flammiferos Phœbi premit inſcius axes;
Mergitur Eridani, fulmine fuſus, aquis.

Creſcit amor numi.

EMBLEMA XXXIII.

In Auarum.



CReſcis, & Attalico domus alta renitet ab auro:
Corraſasq́ colis, numinis inſtar, opes.
Nec ſatis hoc, animam lucris quoq; vendis iniquis:
Mercando ſolers excutis omne ſolum:
Exanimisq́ metu vigilas, trepidasq́ pauore:
Multaq́ poßideas quum bona, plura cupis.
Sic quondam ſitiens fugientia flumina captat
Tantalus: & poſita continet ora dape.

Sicq́;

Sicq́; Midas tacto rex diſcruciatur ab auro:
Dum ſua Pactolo flumine membra lauat.
Nec metuis (quanquam metuis permulta) quod hæres
Mox malè quæſitas puluere vertet opes.
Tutius eſt modica contentum viuere ſorte:
In lætis mentem rebus habere piam:
Præſentiſq́; Dei venerabile numen amare:
Si neſcis, cunctas res ea vincit opes.

Rex ſuus reginæ placet.

EMBLEMA XXXIV.



Ad Bartholomæum Reuſnerum Medic.

CLaſſe petit Delphos Ceyx, Trachinius heros:
Dijs oblaturus munera grata ſuis:
Tempeſtas oritur maris ingens, atq; procella:
Quò maneat, coniux terq́; quaterq́; rogat.
Fida viri coniux, & lecti gloria rara:
Sed fruſtrà, pietas debita ſuadet iter.
Sic abit ille quidem: medijs ſed mergitur vndis:
Fluctibus, & ventis quum furit ira maris.
Alcyonen pius ingeminat ſine fine maritus:
Ceycemq́; vocat non minùs ipſa ſuum:
Proq́; viri, ſuperis facit irrita vota ſalute:
Thuraq́; fert caſta relligioſa manu.
Ille perit ponto: nec coniux ſola ſuperſtes,
Conſcia iam fati, permanet abſq; viro.
Nam thalamo quos iunxit hymen, mors iungit in vrna:
Cumq́; viro fiunt frater, & vxor aues.

Sola

Sola viuit in illo.

EMBLEMA XXXV.

Ad Michaëlem VVirthium Jureconſ.



Romulus Herſilia, cœli ſubit aſtra, relicta
Coniuge: quæ carum fletq́, gemitq́ virum.
Quam Iuno miſerata, per Irim, ducit Olympo:
Coniugis hic, ſed nunc conſpicit ora Dei.
Excipit æthereâ ſibi iunctam ſede Quirinus:
Cum forma, nomen mutat, Oramq́ vocat.
Sancta fides thalami ſuperat ſic tempora vitæ:
Quæ benè vincta ſemel, numine teſte, fuit.

Ibo animis contrà.

EMBLEMA XXXVI.

Ad Albertum à Steten, Patr. Auguſtan.




DEnte fremens, oculis trux, ſpumans ore, feroxq́;
Pectore, vaſtat agros dum Calydonis aper:
Lecta manus iuuenum coëunt de gente Pelaſga:
Conficitur telis hinc Meleagre tuis.
O quàm fortis aper, media truculentus in ira,
Chriſticolûm cœtus vaſtat in orbe ſacros.
Dÿ faciant, nouus exurgat Meleagrus in armis:
Fortia qui cæſo tela cruentet apro.

Fata

Fata viam inuenient.

EMBLEMA XXXVII.

Ad Matthæum Balerum Patr. Auguſtanum.



VT quondam Creta fertur Labyrinthus in alta,
Parietibus textum cæcis iter, ancipitemq́,
Mille vijs habuiſſe dolum: qua ſigna ſequendi
Falleret indeprenſus, & irremeabilis error.
Sic mundus latebris cæcis, flexuq́ doloſo
Corruptos animos hominum fruſtratur: & implet
Innumeras errore vias: vix vnde reuerti

Sæpe datur: tanta eſt miſeri fallacia mundi.
Vtq́; ope virginea nullis iterata priorum
Ianua difficilis filo eſt inuenta reperto:
Quo duce Dædaleum Theſeus iter inde relegit.
Sola Dei ſic monſtrat iter dux gratia verum:
Quò reuocare gradum, ſuperasq́; euadere ad auras
Poſsit homo: tanta eſt ſortis miſeratio noſtræ.

Animum rege.

EMBLEMA XXXIIX.



Ad Obertum Giphanium Juriſconſ.

Dum

DVm legit Eurydice flores, per amœna vireta:
  Orpheio vix dum iuncta puella toro:
Occidit, in talum ſerpentis dente recepto:
  Conſortem linquit ſic noua nupta ſuum.
Qui neſcit motus animi cohibere feroces:
  Accelerat mortem, perniciemq́ ſibi.
Fortis erat, Stygijs puer olim merſus in vndis
  Aeacides: pede ſed non quoq; lotus erat.
Cætera qui vincit, ſe vincere neſcit, & iram:
  Inuictusq́ animis vincitur ipſe ſuis.
At melius Iaſon, dum vellus ab hoſte reportat
  Phryxæum: laudis victus amore nouæ:
Calceolis lauat amiſſis in flumine plantas:
  Comprimit affectus ſic, cohibetq́ ſuos.
Reſponſare cupidinibus, ſortiq́ ſuperbæ
  Qui ſcit, Oberte; Deo proximus, ille ſapit.

Surſum corda.

EMBLEMA XXXIX.

Ad Carolum Utenhouium Patr. Gandauenſem.



IVppiter Europam rapturus, Agenore natam:
Phœnicum ſimulans fertur in arua bouem.
Gaudet amans pulcri forma bouis: haud mora, tergo
Inſidet: & Cretam per freta virgo petit.
Dum petit hanc, littus reſpectat ſæpe relictum:
Donec ſe prodit Iuppiter eſſe Deum.
Fabula quid velit hæc ſibi, me ſi Carole quæris,
Accipe, mens hominis, regia virgo fuit:

Per

Per mare quam mundi defert miſerabile corpus:
Sæpe tamen patrios reſpicit illa lares.
Scilicet humanis mens facta obnoxia curis,
Luminibus cordis te, Deus alme, videt:
Te colit, & vero te contemplatur amore:
Perfruiturq́; ſui cognitione boni.
Namq; bonum ſummum Deus eſt, finisq́; bonorum
Summus: ab hoc vno vita, ſalusq́; datur.

Cupio diſſolui.

EMBLEMA XL.



Ad Martinum Cruſium.

PEr iuga dum nemorum pharetrata Diana vagatur:
Errantem ſilvis Endymiona videt:
Deperit hunc amens: & vt oſcula carpat ab ore
Paſtoris: longo membra ſopore grauat.
Tuta Diana diu ſic oſcula figit amanti:
Oſcula Dijs magnis per mare digna peti.
Qui pius eſt, viuitq́ pius, moribusq́ beatus:
Adq́ Deum, ſceleris purus, anhelat iter:
Per ſomnum Deus huic fert oſcula blanda: piorum
Nimirum dulcis mors ſolet eſſe ſopor.
Nam quos Chriſtus amat, ſibi iungit carne ſolutos:
Et rapit ad vitæ gaudia longa nouæ.
O dulcis requies: ô baſia dulcia, cælo
Proxima: felices, qui meruêre frui.

NICO-

NICOLAI REVSNERI LEORINI SILESII, IC. ET P. C.

EMBLEMATVM LIBER QVARTVS.

Virtus præmium optimum.

EMBLEMA I.

Ad D. Rupertum à StoZingen Conſiliarium Cæſaris.

AVreus æterno frondeſcens ramus honore:
Symbola virtutis clara perennis habet:
Pulcricomaq; frequens hic creſcit in ilice: magni
Quà nemoris ſpargit ſilua refuſa comas.
Fortius vmbroſa nihil, aut fœcundius vſquam
Ilice: quæ viſcum nobile fronde parit:
Et præter glandem, fert coccum læta rubentem:
Et folijs ſemper frondet amœna ſuis.
Sic magnum decus eſt virtutis, magna poteſtas:
Perpetuus ſplendor, perpetuusq; vigor.
Fortius hac nihil eſt, nil fortunatius, & quod
Tam ſit fœcundum ſponte, feraxq;, ſua.

Qui

Qui ſapit, hunc oculis veſtigat, menteq; ramum:
Nempe ſub hoc virtus, ſorsq; beata latet.
Auricomos niſi quis decerpſerit arbore fœtus:
Elyſias miſer hic neſcit adire domos.

ΕΚ ΤΟΥ ΠΟΝΟΥ ΚΛΕΟΣ.

EMBLEMA II.

Ad Dauidem Coberum, Cæſaris Conſiliarium.

SI cui fama placet, ſi laus, ſi gloria: virtus
Eſt opus, & conſtans ſedulitate labor.
Nam ſocius Labor eſt caſus virtutis in omnes:
Illa bonæ Famæ mater, at hic pater eſt.
Sunt comites vtriuſq; Quies, Fortuna, Voluptas:
Quæq; domum ſeruat, quum venit, alma Salus.

Aliud.

Sponſa decens Virtus: ſponſus labor: ambit hic illam:
Fit coniux: nouus hinc Gloria fœtus adeſt.

ΠΙΣΤΟΝ ΚΥΔΟΣ ΕΧΕΙ ΑΡΕΤΗ.

EMBLEMA III.

Ad Joan. Heinricum Hainzelium,

Patr. & Sen. Auguſtanum.

COnſtans eſt virtutis honos, & gloria fida:
Et memorem famam, qui benè vixit, habet.
Aſpicis, vt iuuenis galea decoratus, & haſta,
Sceptriger, & geminum crus ocreatus ouet:
Fœmineam flagrans ſpeciem cœleſtis Honoris:
Quæ galeam dextro ſub pede calcat humi:
Quæq; manu plenam cornu fert fruge beata:
Cincta comas, nudo conſpicienda ſinu.
Virtutem robur decet, & prudentia mentis:
Sub pede teſtudo quod domiporta monet;
Et caſsis, criſtis præſignis, & haſta: vigorem
Ingenij magni penna decora notat.
Sceptra, poteſtatem vitij ratione domandi:
Munitumq; ocreæ, pectus ad omne malum.
Qui per virtutem, verum ſectatur honorem:
Et laudis magis eſt, quàm ſtudioſus opum:
Sufficit huic, longumq; diu perdurat in æuum
Gloria, res, cenſus, gratia, fama, fides.

Huc curſus fuit.

EMBLEMA IV.

Ad Nicodemum Friſchlinum Poët. & Com. Pal. Caſ.

MOns, qui verticibus petit arduus aſtra duobus;
Parnaſſi, medio cur tenet orbe locum?
Dic mihi, Phœbe pater. nam Iuppiter, alite miſſa
Imperium fertur ſic didiciſſe ſuum.
Sic ego. ſic contrà retulit mihi Phœbus Apollo:
Quæ medio ducit ſemita calle, placet.
Fas vt ſit cuiuis artes ediſcere doctas:
Sic datur ad Muſas currere recta via.
Aſt opus eſt magno nixu, duroq́; labore:
Conſcenſo donec vertice victor oues.
Quòd ſi difficiles aditus, virtutis amore,
Viceris: hæc precium palma, decusq́; dabit.

Vnica

Vnica nobilitas virtus.

EMBLEMA V.

Ad Joan. Philippum Fuchſium à Pinbach. Andreæ F. Eq. Fr.

EſT aliquid, longa cenſeri laude ſuorum:
Et claris ortum patribus eſſe domi.
Sed generis laus eſt tutiſſima: moribus vt ſis
Nobilis, & vera ſimplicitate bonus.
Nam ſi cui generis laus eſt in origine ſola:
Mox perit omnis in hoc nobilitatis honos.
Quòd ſi quis vitijs tantùm ſit nobilis: ille
Immeritò titulum nobilitatis habet.
Nam quid habet cæcus tandem commune, Philippe,
Cum ſpeculo? nunquid ſe videt ipſe magis?
Turpe equidem, ſi nobilitat modò crimina vitæ
Nobilitas. virtus nobilitate prior.

Cedendo vince.

EMBLEMA VI.

Ad Hieronymum Oſium P.L.

QVid fruſtra niti, nec cedere velle furori
Currenti, aut ſtimulum calce ferire iuuat?
Aptiùs obſequio, quàm ſtulta vincitur ira:
Cedere qui neſcit, vincere neſcit homo.
Nónne reluctando, ſtimulo dum ſæpe feritur,
Plùs ſibi, quàm domino, ſic nocet acer equus?
Cedendo vinces meliùs: ſi cedere nolis
Impatiens: rabies gliſcit, & ira magis.

Spes

Spes proxima meſsis.

EMBLEMA VII.

Ad Joannem Orthmannum Leorinum.

RVſticus vt gelidæ mandat ſua ſemina terræ:
Et fructus tandem percipit inde nouos:
Sic nos è veteri pariter tellure renatos
Ferre decet fructus cum pietate bonos.
Turpe nefas, ſi quis ſit pondus inutile terræ:
Ceu ſemen, moritur quod ſine fruge bona.

Vis neſcia vinci.

EMBLEMA IIX.

Ad Adamum Cloſium Sileſium.

Scilurus en morti ſenex iam proximus,
Concordiæ octoginta natis ſymbolum
Pulcrum daturus inſuperabilis ſuis:
Faſces dari mandat ſibi: quos firmiter
Sic colligatos, ſingulis dat filijs:
Vnoq́ niſu, aut altero frangi iubet.
Pro viribus conantur omnes: at diu
Fruſtra laborant. dein ſcopas ſolui monet:
Et ſingulas à ſingulis iam virgulas
Frangi. labor non eſt opus, aut niſus grauis:
Patrem celeriter quiſq́ voti compotem
Reddit ſui: pro faſce iam minutulas,
Flammis paratas ſubitis, cernit ferulas.
Concordiæ vis magna, vinci neſcia:
Quæ quandiu durat: ſalus, victoria,
Felicitas durat. quòd ſi diſcordia
Inceſſit amens: omni amiſſo robore,
Ab hoſtibus vinci poteſt facilè ſuis:
Quamuis potens, & magnus ſit exercitus:
Fugit ſalus, victoria, & felicitas.

ΑΙΡΩΝ ΑΙΡΟΥΜΑΙ.

EMBLEMA IX.

Ad Henningum Hammelium Iuriſconſ.

F Allere conſilio, res non operoſa, ſodalem:
Sed præiudicij res ſolet eſſe grauis.
Conſilij fructus ſuaſoribus inſtat iniqui:
In caput auctoris fraus mala ſæpe redit.
Sæpe dolis alios tentans euertere falſis:
Artibus interimit ſeq́;, ſuosq́; malis.
Sic ſcrobe ſæpe ſua capitur venator: & auceps
Quos poſuit, laqueis ſe capit ipſe ſuis.
Sic polypus, conchæ dum carnem captat auarus,
Alterius capitur protinus ecce manu.

ΙΕΡΟΝ Η ΣΥΜΒΟΥΛΗ.

EMBLEMA X.

Ad Ioannem Sagerum Medicum.

COnſilium, res ſacra: cauet conſultor amicus
Conſilio cuiquam velle nocere ſuo.
Fraudis, fraude ſua, perit improbus auctor iniquæ:
Et patitur telis vulnera facta ſuis.
Enſe ſuo Marium iugulat ſic Pollio: telo
Sic Braſidas hoſtem conficit ipſe ſuo.
Sic Phalaris tauro violenti membra Perilli
Torret: & infelix imbuit auctor opus.
Sic monſtratorem ſacri Buſiris iniqui
Mactat: vt Aegypto det Iouis imber aquas.
O quàm iuſta Dei lex, & ſententia iuſta eſt:
Artificem fraudis fraude perire ſua.

ἘΦΗΜΕΡΟΙ ΤΥ΄ΧΑΙ.

EMBLEMA XI.

Ad Marcum Thennium Auguſtanum.

DVm rebus fortuna fauet nimis æqua ſecundis:
Parciùs inſidæ crede, nec alta ſape.
Nam quum blanditur nimium fortuna ſerena:
Captatum ſtultos inſidioſa venit.
Quos ſemel eſt complexa hedera, enecat illicò frondes:
Quos fortuna fouet, ſtrangulat, æqua nimis.
Quod donat fortuna, time: venit illicò raptum:
Eripit vt Solem nubila ſæpe dies.
Sorte tua potiùs gaude: laudabile Marce
Viuere naturæ conuenienter erit.

b Omne

Omne nocet nimium.

EMBLEMA XII.

Ad Thobiam Zorerum IC. Conſil. Palatinum.

NEc mihi diuitijs contingat grandibus vti:
Nec me paupertas rurſus iniqua premat.
Difficilis res eſt, opibus non tradere mores:
Pauperiesq́ probro ſæpe maligna datur.
Inter vtrunq; malum, benè viuere deligo paruo:
Felix, cui modicas dat Deus æquus opes.
Si minus exundat Nilus, miniúmve, per æſtum,
Quàm ſatis eſt: Pharios mox premit atra fames.
Omne nocet nimium: modus eſt pulcerrima virtus:
Et modicis rebus gratia maior ineſt.
Stultus plura cupit, quàm vitæ poſtulat vſus:
Quod ſatis eſt, homini ſufficit herclè pio.

ΠΛΟΥΤΟΣ

ΠΛΟΥΤΟΣ ΑΦΑΝΗΣ.

EMBLEMA XIII.

Ad Sebaſtianum Rœtingerum Iuriſconſultum.

MArti ſacrificant Ephialtes acer, & Otus:
Barbara quem vinctum crure cataſta tenet.
Condit iners aurum, congeſtis vndiq́; ſaccis:
Et cumulat magnas ſemper auarus opes.
Creſcunt diuitiæ: numorum dira cupido
Creſcit: & inter opes Euclio viuit inops.
Nam veluti pictis gaudet ſine mente tabellis:
Et tanquam ſacris parcit auarus homo:
Grande nefas cenſet quibus vti ritè, fruiq́;:
Sic, niſi diuitias, nil malè ſanus amat.
Sic auri formica vigil componit aceruos:
Compoſitis vti neſcia diuitijs.

Munerum vis.

EMBLEMA XIV.

Ad Joannem Bonriederum Juriſconſultum.

QVis credat? laqueo lepus puſillus
Ingentem trahit aureo leonem.
Certat muneribus profana turba:
Corrumpens animos ducum ſuorum:
Et placans ſibi, lenienſq; multo
Auro: quum ſatius ſit emereri
Plena munera maximorum honorum,
Sanctitate, fide, innocentiaq;.
Piſcari libet aureo ſed hamo:
Nam placant homines, deoſq; dona.

ΠΛΟΥ-

ΠΛΟΥΤΟΣ ΑΠΛΟΥΤΟΣ.

EMBLEMA XV.

Ad Sebaſtianum Coruinum Neoburgium.

Miluus, & accipiter, pardus, tigrisq́; relinquit
Potum, eſcamq́; alijs, quam vorat, atq; bibit.
Sic partas alijs plerunq; relinquit auarus,
Per fas, atq; nefas quas cumulauit, opes.
Qui malè lucratur, damnum facit ille, pudore
Cum turpi miſtum. quid iuuat inde lucrum?
Si quis opes amat, has iuſtè ſibi comparet ille:
Nam malè parta, male copia ſæpe perit.

Chriſto duce, & auſpice Chriſto.

EMBLEMA XVI.

Ad Henricum Porſium P. L.

FLore nitens croceo Clytie (mirabile dictu)
Perpetuò Phœbi ſeruat euntis iter:
Seu tenet occaſum; ſummo ſeu ſurgit ab ortu:
Seu ſpacio Phœbus diſtat vtrinq; pari.
Sol vitæ, Chriſtus Deus eſt, lux lucis amatæ:
Cuius nos fas eſt ſemper amore trahi.
Felix, cui dux ille viæ cæleſtis adhæret:
Quem qui non ſequitur, Tartara nigra ſubit.

Ira furor breuis.

EMBLEMA XVII.

Ad Joachimum, Joach. F. Camerarium Medicum.

ASpicis, vt torto volitet ſub verbere turbo:
Quem celer hic ſolita verſat ab arte puer.
Dant animos plagæ: gyros trahit actus habena
Immodicos: nec, quò turba feratur, habet.
Ira furor breuis eſt: ſtimulis agitata minarum
Euolat: & vires colligit inde ſuas:
Sæuior immiſſis furit hinc, velut ignis, habenis:
Præcipitemq́; furens, quò libet, ardor agit.
Qui ſapit, haud longum tempus concedet in iram:
Iratoq́; dari non volet arma ſibi.

Mentam

Mentam ne comedas.

EMBLEMA XIIX.

Ad Adolphum Occonem Medicum & Hiſtoricum.

MEntam ne comedas, neq; plantes tempore belli:
Sic equidem veterum regula ſancta monet.
Cur? an quòd timidas facit, imbellesq; cohortes
Frigida? ſic magnus cenſet Ariſtoteles.
An quòd delicijs facit indulgere, gulæq;:
Cum condimentis hæc, & odore placet?
An quòd & hæc metuit ferrum, ſi credere fas eſt:
An quòd diſsidijs tunc vetat eſſe locum:
Quando ſemel longo durat ſata tempore, menta
Fertilis, & damnis ditior vſq; ſuis?
An potiùs Venerem quòd iners remoratur amicam?
Nec reparat damnum Martis ab enſe datum?

ΟΜΙΛΙΑΣ

ΟΜΙΛΙΑΣ ΓΕΡΑΙΤΕΡΑΣ ΦΙΛΕΙ.

EMBLEMA XIX.

Ad Nicolaum, Nicolai F. Redigerum, Patr. Vratiſlauienſem.

SI colis, & tractas polium: te fama, decusq́ue
(Sic canit Heſiodus) te comitatur honos:
Cæruleum verſper, niueum quod conſpicit Eos:
Purpureum medius, Sole calente, dies.
Triplex eſt ætas hominis, triplexq́ue ſenectus:
Felix, officium quæ facit apta ſuum.
Multa docent anni: longo venit vſus ab æuo:
Mens ſequitur prudens, conſiliumq́ue ſenes.
Quid liceat, norunt, & quid ſit fasq́ue, nefasq́ue:
Si ſapis, hos digno ſemper honore cole.
Dilige canitiem: rugas reuerere ſeniles
Promptus: & arbitrio viuere diſce ſenum.
Sic laudem tibi, ſic famam ſine labe perennem:
Sic potes æternum conciliare decus.

Splendida miſeria.

EMBLEMA XX.

Ad Ioannem Chriſtophorum Fuchſium in VVallenburg Eq. Fr.

MAgnus honos generis, ſed cenſus maior habetur:
Nam vulgus cenſu diuite cuncta probat.
Ille quidem miſer eſt, cui nobilitare dolorem
Nobilitas vitæ, pauperiemq́ ſolet.
Sed malè. nam quamuis paupertas vilis habetur:
Nec benè nobilitas paſcit egena famem:
Si tamen illa genus magnum virtutibus auget:
Immenſas ſuperat totius orbis opes.
Quæ venit ex opibus, quid erit, niſi fumus ab igne,
Gloria? qui parua ſæpe gelatur aqua.
Qui rectè viuit, ſolus mihi nobilis ille,
Et bonus, & ſapiens, & benè diues erit.
At tibi nec ſplendor generis, nec copia diues,
Nec virtus, Fuchſi, deficit, arsq́ potens.
Felix ô nimium felix. ſic nobilis ergo,
Sic bonus, & ſapiens, & benè diues eris.

Tranſ-

Tranſeundum.

EMBLEMA XXI.

Ad Caſparum Orthmannum.

Vita quid eſt? nihil eſt, niſi velox tranſitus: alis
Tranſuolat ambiguis, mobilis inſtar auis.
Vna fuga eſt: fugit hora, fugitq́; volatilis ætas:
Ceu turbo cæcus, ceu leuis vnda fugit.
Ceu fumus tenues ſubitò vaneſcit in auras:
Aut ſi quid fumo vilius eſſe poteſt.
Diſce mori, finemq́; ab origine cernere diſce:
Et fontem vitæ diſce videre tuæ.
Aſpice quale ſit hoc fœdum, atq; exangue cadauer:
Cui ſubito ſimilem te facit hora breuis.
Longior haud ætas hominum, quàm gratia florum:
Vna dies naſci quos videt, vna mori.

Aliud.

Vita viatoris quaſi tranſitus: omneq́; finem,
Quicquid hic immundus mundus honorat, habet.
Tranſit honos, tranſit fortuna, pecunia tranſit:
Mente Deo ſimilis, corpore tranſit homo.
Tranſiuère patres: ſimul hinc tranſibimus omnes:
In cælo patriam, qui benè tranſit, habet.

Mater iniuſtitiæ, tyrannis.

EMBLEMA XXII.

Ad Joannem Braſtbergum Juriſc. & Cancell. VVirtebergicum.

PErpetuum bellum eſt elephanti, & morte piandum
Dracone cum Titanico.
Peruigil hic elephantinas male vulnerat aures:
Aeſtuq́ue laſſus, & ſiti,
Frigidulum cupidè nimis imbibit ore cruorem:
Quo factus ebrius ſemel
Rumpitur, opprimiturq́ue procax: animamq́ue refuſo
Cum ſanguine euomit ſuam.
Sic populum latè credentûm Marte fatigat
Furor tyrannorum potens
Aſsiduo: quorum ſitiunt ſine fine cruorem,
Immanitate barbari:
Nec rabiem ſatiant diram: niſi cæde piorum
Sint ebrij innocentium.
Tunc rupti ſanctum reuomunt, Braſtberge, cruorem:
Magnoq́ue cum probro ſuo,
Singultant animam fœdam; pœniſq́ue ſub Orco
Mactantur hinc perennibus.

Cuncta

Cuncta poteſt vſus.

EMBLEMA XXIII.

Ad Joan. Fridericum, & Joan. Henricum Schertelinos, à Purtebach.

CEu putredo trabes, & lignum conficit ignis:
Sic torpor mentem, curaq́ ſæpe necat.
Et ceu vomer iners ſcabreſcit ſorde, ſituq́;:
Sic mens pigritia, lentitiaq́ perit.
Cuncta poteſt vſus: labor improbus omnia vincit:
Quem quicunq́ fugit, iam decus omne fugit.

In Paguro ſapientia.

EMBLEMA XXIV.

De Paulo Ebero S. Th. D.

QVid modicas paruo rides in corpore vires?
Pectore ſi magnus ſum, Polypheme, ſat eſt.
Scilicet eſt paruis etiam ſua gratia rebus:
Formicæ quoq; vis, & ſua bilis ineſt:
Et ſua commendat ſapientia rara pagurum:
Pendet hic è collo, magna Diana, tuo.
Conſilij ſignum prudentis: in æde dicata
Quæ gaudes Epheſi per tua ſacra coli.
Malo mihi paruo ſit mens in corpore magna:
Quàm Cyclopæo robore membra geram
Mentis inops. malè ſic habitat mens ardua Galbæ:
Ingenuas vires, nobile pectus amo.

Per

Per ſaxa, per ignes.

EMBLEMA XXV.

In Planum.

FOrtunam dubio quid quæris in æquore cæcam?
Quid mundi ſolers excutis omne latus?
Stulta, grauisq́ via eſt, tanto bona velle caduca:
Tormentis quæſtus, naufragijsq́ ſequi.
Nec caput argento, merci præferre ſalutem:
Aſt immaturam mortis adire viam.
Si vendas animam lucro: poſt vltima fata,
Quod tibi de lucro diuite nomen erit?
Nec fortuna diu fauet, & mox omnia verſat:
Incertam præbet quælibet hora fidem.
Sic larus, æquoreis victum qui quærit in vndis,
Prælia cum ventis irrequieta facit.
Quærere virtutem præſtat, quàm quærere cenſum:
Te, Plane, ſed gratis pœnitet eſſe probum.

Omne

Omne rarum, carum.

EMBLEMA XXVI.

Ad Laurentium Gualtherum Cuchelium Medicum.

NEſcit homo, maluæ vis quanta ſit, aſphodeliq́;:
Quæ paßim ingrato ſub pede trita iacent.
Si Nepa lethiferum ſparſit per membra venenum:
Aſphodeli tuius floribus eſſe potes.
Sacra Magis eſt herba: grauatis malua ſalubris
Corporibus: morbi quæ fugat omne malum.
Quò quid rarius eſt, hoc carius: optima quum ſit
Rebus in humanis, vilis habetur aqua.
Quæ libeant, ſi fas eſt ſpontè cuiq; potiri:
Frigidiùs, quamuis ſint bona, ſemper amat.
Rara iuuant: ſordet piper Indis; pulegioq́;
Quod ſpernunt alÿ, primus habetur honos.
Quæ noua ſunt, capiunt animos: faſtidia contrà
Cuiuſcunq; rei copia magna parit.

Tempus

Tempus eme.

EMBLEMA XXVII.

Ad Albertum Fabrum Iuriſconſultum.

CArius eſt, quodcunq; emitur, licet exiguum ſit:
Carior eſt, vænum quæ datur, omnis aqua.
Sic ætas homini bona, ſic eſt tempus emendum
Vtile: ſi verum littera ſacra monet,
Sit quamuis rerum viliſsima nunc aqua vulgò:
Si ſit opus, quouis gratior ære placet.
Carius argento tempus, precioſius auro:
Amplius haud redimi, quod perit, ære poteſt.
Labitur occultè, ceu mollis, & effluit, vnda:
Quam ſemel elapſam non reuocare potes.
Tempore, dum licet, vtendum: fugit ocyus amne
Hora breuis: nec, quæ præterit, hora redit.

Suſtine, & abſtine.

EMBLEMA XXIIX.

Ad Hadrianum Junium Medicum.

Calceolo dextrum munire, lauare ſiniſtrum
Pythagoras pelui cur monet antè pedem?
Quæris, cur? monet abſtineas vt, ſuſtineasq́;:
Abſtineas prauo, ſuſtineasq́; bonum.
Sincerum eſt niſi vas, quodcunq; infundis, aceſcit:
Sordida ſi qua latent pectore, prima laua.
Sin minus, aduerſus caſus benè prouidus omnes
Præmuni pectus ſpeq́; fideq́; tuum.

Maxima victoria, victa voluptas.

EMBLEMA XXIX.

Ad Joſephum Scaligerum, Jul. Cæſ. F.

PEr Lydos dum carpit iter cum milite Xerxes
Innumero: platanum per loca ſola videt:
Aeriam platanum, præbentem frondibus vmbram
Pulcricomis: raptus cuius amore fuit.
Protinus armillis decorans, & torquibus aureis;
Et quicquid decoris regia veſtis habet:
Militis oblitus rex, militiæq; ſub vmbris
Caſtra locans, duci tempora læta monet:
Perq; diem totum, re non cogente, moratus:
Indulget genio, dulcia carpit iners.
O rem ridiculam. ô quantum eſt in rebus inane:
Maxima pars hominum non facienda facit:
Dum facienda fugit, platanum ſectata: voluptas
Quando ſub hac regnum nunc geniale tenet:
Dumq; oblita ſuæ mentis, modo corpus honorat:
Ac ne ſæpe quidem corpus honorat iners:
Sed potiùs turpi vitiorum labe malorum
Dedecorat: ſic mens turpificata perit.
Quò fit, homo, dum viuit, vt aut nihil, aut malè quiduis,
Aut aliud, quod non eſt opus, omnis agat.

Fronti nullæ fides.

EMBLEMA XXX.

Ad Martinum Neandrum Leorinum.

FRonte hilari qui ſunt, & triſti corde: fatebor
Illos inimicos eſſe longè peſſimos:
Quos nec, vt apprendas, nôris, nec quomodo mittas:
Hos, ſi ſapis, mecum cautus ſemper fuge:
Nam dextra monſtrant panem: lapidemq́; ſiniſtra,
Aut virus occultant manu.
Sic rex Antigonus ſuperos rogat: vt queat eſſe
Tutus ſuis ab amicis, non ab hoſtibus.

Vbi ami-

Vbi amici, ibidem opes.

EMBLEMA XXXI.

Ad Joannem Bloſium Mathematicum.

THeſaurus bonus eſt, prudens & fidus amicus:
Si nempe amicus eſt, ita vt nomen cluet.
Cedant diuitiæ, cedant ingentia rura:
Nil homini, amico opportuno eſt amicius.
Plus homini prodeſt, opibus ſine, certus amicus;
Quàm magnæ opes proſunt, amicis ſine bonis.
Spernit opes, gazasq́; ſuas Scytha durus: amicos
Qui poſſidentem, poſſidere maximas
Monſtrat opes. ſic & theſauros iactat amicos,
Quos beneficijs ornauit immenſis, ſuos
Magnus Alexander, Ioue natus, & inclytus heros:
Orbis triumphator potens quadruplicis.
Quærit opes paraſitus; amici pectus amicus
Fidum ſui, certamq́; beneuolentiam.

Amicorum paria.

EMBLEMA XXXII.

Ad Paulum Meliſſum.

PIrithoo Theſeus, Pylades comes iuit Oreſti:
Patroclo Aeacides, Niſus at Euryalo.
Par fuit his virtus, & amor, candorq́ꝫ fidesq́ꝫ:
Qualis in Atridis, Tyndaridisq́ꝫ fuit:
Fratribus in Siculis qualis, geminisq́ꝫ Palicis:
Qui duo corporibus, mentibus vnus erant.
Sic ego te fratrem, ſic tu me dilige frater:
O animo penitùs Paule recepte meo.
Sim tuus Euryalus: ſim certus amicus Oreſtes:
Patroclusq́ꝫ tuus, Pirithousq́ꝫ tuus:
Tuq́ꝫ meus Niſus, Pylades meus, oro, Meliſſe:
Tu ſis Aegides, Aeacidesq́ꝫ meus.
Sim tibi Caſtor ego: ſis tu mihi deniq́ꝫ Pollux:
Tu ſis Amphion: ſim tibi Zethus ego.
Sim minor Atrides ego: ſis tu maior: amore
Sic certare duos fasq́ꝫ, piumq́ꝫ reor.

Nulla

Nulla eſt ſincera voluptas.

EMBLEMA XXXIII.

Ad Vuenceslaum Raphanum Medicum.

NVlla adeò terris affulget pura voluptas:
Quam tetro vitiet non tibi felle dolor.
Contigit humanæ ſors iſthæc addita vitæ:
Vt ſubeant lætæ triſtia plura vici.
Haud ſecus ac Soli tenebræ, veriq; tepenti
Triſtior ingrato frigore bruma ſubit.
Aut veluti tumidas glomerat quum turbo procellas,
Diſÿcit incertam per freta mota ratem.
Si ſapimus, lætis vtamur, amice, diebus:
Gaudia non durant, mox fugitiua volant.

Peſtis adulator regum.

EMBLEMA XXXIV.

Ad Vitum Curnerum Juriſcon-ſultum.

Simiolam Leo terreſtrem, Delphine marinam
Quando voras æger, ſanior eſſe potes.
Quadrupedum rex es Leo, tu Delphine natantûm:
Imperium vobis terra dat, atq; mare.
Perdit adulandi gens prudentiſsima, magnas
Aulas, & regum languida corda facit:
Qui ſapit, hos princeps ſcurras, ceu dira venena,
Incolumes regno non volet eſſe ſuo.

Vt ho-

Vt homo eſt, ita morem geras.

EMBLEMA XXXV.

Ad Ludouicum, Joach. F. Camerarium.

DVm lepores magno præſcribunt iura leoni:
Aequalemq́; volunt omnibus eſſe locum:
Maior ne premat imperio violente minorem:
Sed vires cedant legibus, arma togæ:
Recta quidem lepores, verùm ſine mente fatetur
Dicere, quæ dicant, & ſine dente Leo.
Purpura terga decet leporum, rex inquit: & vngue
Pugnaces iubet hos dilaniare feras.
Sic monet haud quiſquam ſæuos impunè tyrannos:
Quîs pro lege magis vis violenta placet.
Quod libet, hoc fas eſſe putant. contraria qui vult
Dicere: mox pœnas pro pietate luit.
Sic olim Siculus pro libertate Tyrannus
Mactandum Polidi morte Platona dedit.
Talis Prexaſpis, talis Calliſthenis olim
Sors fuit: & nocuit candor vtriq; ſuus.

Stet pro ratione voluntas.

EMBLEMA XXXVI.

Ad Bartholomæum Schonbornium Medicum.

CErnis, vt infirmis balæna minaciter agnis
Iura det: & leges imperioſa ferat:
Atq; repugnantes crudeli dente laceſſat:
Et laceret rictu, dilanietq́; ſuo.
Sic edicta pijs proponunt dura tyranni:
Plena metus, omni quæ ratione carent.
Sic volo, ſic iubeo (clamant) lex vna, voluntas
Sit mihi: plus æquo vis inimica valet.
Si non his parent, pereunt diſcrimine nullo,
Turba inſons, gladio, funibus, igne, rota.
Monſtra tuis regnis, Deus, hæc auerte precamur:
Atq; tyrannorum vim, rabiemq́; preme.

Fiducia

Fiducia concors.

EMBLEMA XXXVII.

Martini Capleri, & Saræ VVeiccerſreu-teræ Epithalamium.

CAſta ſuo nubit Martino Sara marito:
Dij faciant, pactus ne malè cedat hymen.
Sic oleam vitis, vitem deſiderat vlmus:
Sic rutam ficus, cynnama nardus amat.
Sic chalybem magnes: ſic vnio, cordis amica,
Coralium; ſocio iungit amore ſibi.
Turture ſic gaudet turtur, corniceq́; cornix:
Compare ſic compar gaudet amata ſuo.
Perpetuo Charites ſedeant, Suadelaq́; lecto:
Sitq́; Venus cuſtos, Mercuriusq́; tori.
Compoſito ſocialis eget ſermone voluptas:
Quæ data ſunt apto tempore, verba valent.
Blandos blanda decent: quod poſtulat vnus, hoc alter
Spontè velit coniux, & ſine lite, ratum.
Sit præſto, faueatq́; pijs Concordia votis:
Sit Pax, ſit bona Sors, ſit comes alma Salus.
Copia ſit Cornu præſens opulenta benigno:
Fœcundoq́; fluat lacq́;, merumq́; toro.

Tria mala bona.

EMBLEMA XXXIIX.

Ad Joannem Sturzelium Jurecoſ. Sp.

Θάλασσα, καὶ πῦρ, καὶ γυνὴ κακὰ τρία.

Tria ſunt mala, Acquor, Ignis, atq; Fœmina.
Verúm ne dicit Comicus? non arbitror.
Aqua omnium eſt rerum optima (inquit Pindarus)
Auroq; longè præſtat ignis ſplendido:
Pincipia ſunt hæc omnium rerum duo
Corporea: quæ vitam propagant, & fouent
Mortalium. ceu naſcitur quondam Venus
Mari: Saturnus quod genitalibus patris.
Cœli amputatis polluit impius ſui.
Sic maximum vitæ bonum ſunt nuptiæ:
Quum vir bonus dulci potitur coniuge:
Quæ firmamentum eſt vnicum familiæ:
Columen domus: lecti iugalis gaudium:
Curæ leuamen: & vitæ adiutorium:
Cordisq; Margarita diues: vnio
Sola vnionum vna omnium pulcerrima.
Non igne, non aqua magis in mundo eſt opus:
Quàm coniugum ſancta piorum copula:
Qua vita ſemper ſobole reparatur noua
Humana: quum mors falce nos metit ſua.

Nimi-

Nimirum hoc eſt, ſapiens quod olim antiquitas
Ignem ſacris, aquamq́; nuptialibus
Præferre ſueuit: & domi ſolennia
Apponere hæc nuptæ nouæ donaria.
Hoc veluti ſacramento firmans fœdera
Connubialia: & legem ſic dans tori:
Vt pura ſit fides, amorq́; candidus:
Diuulſus haud querimonijs vnquam malis:
Ceu purgat ignis, expiat luſtratq́; aqua.
Tu, Sponſe, nuptam dum tibi quæris nouam,
Pulcram, piam, probam, pudicam virginem:
Mores, fidesq́; quam decent: metus Deûm,
Parentum amor, propinquorum concordia,
Et curæ cui domus placent: rectè facis,
Sanctis Dei æterni obſecundans legibus.
Nam conſulens famæ tuæ, dum ſeculum
Præſens honoras, prouides in poſterum.
Maritus es iam, mox fies (opto) pater:
Vtrunq; nomen dulce, vtrunq; amabile eſt.
Multos per annos ſic tua cum coniuge
Viues beatus in tuis hîc liberis:
Aqua fruens, & igne: ſanus corpore
Et mente: cunctis affluens vitæ bonis.
Sors hæc piorum eſt coniugum: præter Deum,
(O tuta res) nil in mundo timentium.
I nunc, malum dic nuptias. nam veriùs

Tria ſunt bona, Aequor, Ignis, atq; Fœmina.
Θάλασσα, καὶ πῦρ, καὶ γυνὴ ἀγαθὰ τρία.

Ingenij ſtat ſine morte decus.

EMBLEMA XXXIX.

Ad Nicolaum Steinbergerum P. L.

SErta comas, vnguen nares, aqua frigida palmas,
Lux oculos, aures vox iuuat, eſca gulam:
Quid tum? ſerta cadunt: vnguen moritur: breuis & lux
Occidit: vnda fugit: vox abit: eſca perit.
Paruo cuncta iacent euanida tempore: ſola
Ars remanet, memori condita mente ſemel.
Scilicet hæc hominis vitam non deſerit vnquam:
Sponte ſua nos ars, ingeniumq; iuuat.
Pulcrior haud flos vllus, odor fragrantior vſquam:
Mollior haud tactus, viſus amabilior:
Suauior harmonie, cibus haud eſt dulcior arte:
Viuitur hac ſolùm: cætera mortis erunt.

ΗΛΙΟΣ

ΗΛΙΟΣ ΕΣΠΕΡΑ ΜΗ ΦΘΟΝΕΙ.

EMBLEMA XL.

Ad Andream Alciatum Iuriſconſultum, Io. Sambucum Hiſtoricum, Hadr. Iunium Medicum, V. CL. Emblematum ſcriptores.

ANni rector, & arbiter dierum,
Mundi fax, oculusq́, lucis auctor:
Sol haud inuidet Heſpero: nec ægrè
Fert hic, æthere ſi qua tunc ſereno
Fulget ſtellula. Sic beate Iuni,
Sic Sambuce diſerte, túq́, ſancti
Conſultiſsime Iuris Alciate:
Quos Apolline Muſa patre terris
Tres nuper peperit Thaleia Soles:
Aeui lumina clara ſempiterni:
Sic (inquam) mihi vos breuem poteſſe
Haudquaquam reor inuidere lucem:
Conſors quando lyræ repentè veſtræ
Factus, me ſuper aſtra tollo lætus:
Vt ſi ſtella decore non perenni;
At ſtellam ſimulans, Cometa ſaltem
Ad tempus liquido micem ſub orbe.
Sic ſpero. quid enim meo nitore

Splendori

Splendori queo derogare veſtro?
Quorum cedo equidem lubens honori,
Et magnis titulis: nec inuidenda
Paſsim quos mea Muſa laude tollit:
Aeuo vix moritura naſcituro.

FINIS.

IERE-

IEREMIAS REVSNERVS LEORINVS, IACOBO MONAVIO, PATRICIO Vratiſlauienſi, V. CL.

S. D.

FRAGMENTVM *hoc Imaginum Sacrarum placuit mihi, Jacobe Monaui, quatuor Emblematum libris adÿcere: & ſub tuo potiſsimum nomine in manus hominum emittere: cùm ob ſingularem, & eximiam doctrinam, virtutemq; tuam: tùm verò ob veterem amicitiam, & familiaritatem veſtram quæ olim cœpta feliciter in patria: deinde Lipſiæ, ac Viteberga multis officÿs, & mutuis aucta, & cōfirmata: & longo iam tempore diligenter, ſanctéq; ſeruata eſt: vt nihil poßit eſſe cōiunctius: quàm vos inter vos estis. Quod ſanè*

ſtudium,

ſtudium, & officiũ meum vt gratum tibi, & acceptum fore ſpero, vel planè potiùs confido: ita hoc qualecunq; argumentum obſeruantiæ in te meæ eſſe volo: cuius amori, fideiq́; me totum commendo. Vale. Viennæ.

NICO-

NICOLAI REVSNERI LEORINI SILESII, IC. ET P. C.

EMBLEMATVM SIVE AGALMATVM SACRORVM LIBER VNVS SVPERadditus.

I.

Deus Deus.



SVm Deus, Aegypti quem ſic finxêre coloni:
Omnipotens Diuûm rex, hominumq́ parens.

Conſpicuus nulli, ſublimis in æthere regno:
Penna caput tegit hinc, & diadema, meum.
Cærula me decorat veſtis: cœleſtis origo
Eſt mihi: fine ſimul, principioq́; carens.
Sceptrum dextra tenet: populi ſum rector, & orbis:
Imperio paret terra, fretumq́; meo.
Læua gerit Zonam: per me ſic omnia conſtant:
Contineo vitæ fata, neciſq́; manu.
Si rogitas, ouum cur prodeat ore? creatum,
Quod cernis, verbo ſis memor omne meo.
A me principium tibi ſit, ſit finis & in me:
Per me ſuſceptum ſic benè cedit opus.

II.

Magna potentia verbi.

Ad Philippum Melanchthonem V. CL.



MAgna Dei virtus, & magna potentia verbi:
Per verbum conſtant omnia nempe Dei:
Cælum, terra, fretum, volucres, animalia, piſces,
Cum plantis frutices, arboreaq́ comæ.
Per verbum facti: per verbum deinde redempti
Mortales, morti dedita turba, ſumus.
Quod ſumus, & ſi quid nos poſſumus: hoc ſumus, & nos
Per verbum ſolùm poſſumus omne Dei.

Mors, Sathanaſq; fugit, verbi virtute domatus:
Et fugit ad verbum gens inimica Dei.
Felix mens, indiuiduus cui gratia verbi
Fit comes: in verbo vincere, certa ſalus.

III.

Senarij perfectio.

Ad Danielem Princium, Conſiliarium Cæſareum.



P*Erfectio numeri omnis eſt Senarius,*
Partibus & integer ſuis.

Vnum, duo, tria, nónne ſex faciunt? gerit
Idem figuram temporis.
Sic ſex diebus fecit hunc mundum Deus:
Lux data quieti eſt ſeptima.
Sex & Deus mundi molitur ſecula:
Suis dimenſa finibus.
Sic luce ſexta factus eſt homo: Dei
Artificis exemplum ſui:
Aeuoq́ mundi ſexto filius Dei;
Imago vera ſui Patris:
Mortalis in terris hominis fit filius:
Aeui reformator noui.
Quid? quod patres ætas ſex prima nominat,
Haud mortis immunes feræ.
Sed per fidem letho fit haud obnoxius,
Primi pater æui ſeptimus.
Præ foribus ergo nónne iam vides nouum
Inſtare, Princi, ſeculum?

Vita

IV.

Vita Mors.

Ad Ioachimum Beuſthium Iuriſc. & Conſil. Saxonicum.



PRimus Adamus homo ſator eſt cum crimine vitæ:
Mortis iter ſator eſt primus Adamus homo.
Vita Dei, Sathanæ mors eſt opus: ille bonorum
Auctor: at hic ſcelerum primus in orbe fuit.
Eua parens hominum mortem propagat in omnes:
Dum veteris culpæ nos facit eſſe reos.
Mors culpæ merces: fruimur quod duplice vita
Mortales: bonitas eſt tua magna Deus.

V.

Extra Eccleſiam ſalus nulla.

Ad Nicolaum Otomannum Patr.

Vratiſlauienſem.



QVando diluuij totum vis obruit orbem:
Pro noxa, noxam ſic ſtatuente DEO:
Arca Deo medijs ſolùm duce manſit in vndis
Lignea: quæ vexit per freta ſalſa Noham.
Arca Nohæ, ſacer eſt cœtus te, Chriſte, colentûm:
Qua ſine nulla fides: qua ſine nulla ſalus.
Mente ſequi fida, res eſt tutiſsima, cœlum:
Qui Chriſtum vera ſimplicitate colit.

Miſceat vt cœlo maria omnia perfidus hoſtis:
Fluctibus è medijs liberat vna fides.

VI.

Vindicta velox.

Ad Petrum Vincentium V. C. L.



QVid fugitis rapidas tantis conatibus vndas?
Si mare, ſi cœlum vos tegit, atq; ſolum.
Quid montes ſuperare iuuat? quid deniq; ſiluas?
Si premit vltoris vos grauis ira Dei.
Tarda fuga eſt: quum iam fuga non ſuper vlla pericli eſt:
Serò ſapit, quiſquis poſt ſua fata ſapit.

Dum

Dum licet, ô miſeri, fugite improba crimina vitæ:
Infelix, ſi quem numinis ira premit.

VII.

Dominus prouidebit.

Symbolum D. Maxæmyliani II. *Cæſaris Romani.*



QVid tecum fortuna mihi, quid cura maligna?
Si rebus Dominus prouidet vſq; meis.
Prouidet vſq; meæ vitæ Deus, atq; ſaluti;
Ille meus Dominus, ſit Deus ille meus.
Sic Abrahæ pietas Domino placet: hoſtia ne ſit
Filius: è ſupera prouidet arce Deus.

IIX.

Scala ad cœlum Chriſtus.

Ad Ieſum Chriſtum ΘΕΑΝΘΡΩΓΟΝ.



DVm fratris fugit arma ſui ſcelerata Iacobus:
Feſſus humi ſomnum, Sole cadente, capit:
Sub dio, fultus ſaxo caput. ecce repentè
Surgere viſa ſolo ſcala, ſubire polum:
Quam ſuper ad Dominum ſubnixum vertice ſummo
Conſpicit aligeros ire redire choros.
Scala notat te, Chriſte Deus: tu ianitor alti
Aetheris es, per quem cœlica porta patet.

Tu cœ-

Tu cælum iungens terræ: mortalia ſummo
Membra Deo: fratres nos facis eſſe tuos.
Tu priſci renouas commercia rurſus amoris:
Tu pacem reddis, iuſtitiamq́ pijs.
Per te, Chriſte Deus, facilis conſcenſus Olympi:
Tu via, tu veri fons es, & alma ſalus.

IX.

Fidei vis inuicta.



Ad Georgium Sebaſtianum Stibarum
Eq. Francum.

QVis nouus hic hoſtis, cum quo luctatur, & à quo
Pulcram reportat Iacobus victoriam?
Sic pugnare pÿs; vinci certamine pulcro
Sic filius gaudet Dei, mundi Salus.
Nam quanquàm rex eſt regum, dominusq́; potentum
Et victor orbis ſolus inuictiſſimus:
Spe tamen, atq; fide vinci vult ſæpe ſuorum,
O pulcrum, & inſolens genus victoriæ.
Chriſte veni, mecumq́; pio luctare duello:
O & tuas ſic admoue mihi manus:
Per te quò vincam fidei virtute potentis:
Tuiq́; victor, te triumphem iudice.

Venter

X.

Venter Deus.

Ad Eliam Reuſnerum Germanum.



Crine ruber, ſtudioſus agri, cædisq́; ferinæ:
Infidus fratri, terribilisq́; patri:
Ingenij, mentisq́; ferox; violentus Eſauus
Pulmento vendit ſacra, Deumq́; leui.
Heu mihi, quàm multis in ſolo cauſſa palato
Fit vitæ: quibus eſt venter, & olla Deus.

Spero,

XI.

Spero, dum ſpiro.

Ad Joan. Sebaſtianum Pfauſerum Con. Cæſareum.



QVæ non Iſacides mala fert luctator? in orbe
Exul, ſeruus, egens, anxius, orbus, inops:
Mille malis afflictus, ab omni parte laborat:
Præſtò tamen Deus eſt, fertq; benignus opem.
Nil deſperandum, Chriſto duce, & auſpice Chriſto:
Spes bona dat vires, mæſtaq; corda leuat.
Sic tu, magne Dei præco, dum ſancta tueris
Fortiter inuicto pectore verba Dei:

Sperando

Sperando vincis: ſpes, & victoria ſummi
Certa tibi pendet de bonitate Dei.
Arma tibi præſtat verbi diuina poteſtas:
Deijcit hæc ſubito ferrea corda metu.
Mundus vt inuidia rumpatur: vt arduus æther
Corruat: vt frangat ſe Stygis atra palus:
Spes tibi dat vires: fortem patientia reddit:
Quæ firmant animos in mala cuncta tuos.
Diſce Deo, quicunq; ſapis confidere ſoli:
Qui, quæ ferre iubet, pondera ferre facit.

XII.

Forma illex amoris.

Ad Joan. Jacobum Hainzelium Patr. Auguſtanum.



MAgna pudicitiæ lis eſt cum diuite forma:
Illa tuum crimen, culpaq;, Dina, fuit.
Sic tibi vim raptæ Sichæmius attulit heros:
Hæc eſt venturi prima fauilla mali.
Forma placet, ſi mens comes eſt pia, caſtaq; vita:
Sin minus: haud numen, ſed graue crimen habet.

Vincit

III.

Vincit, qui patitur.

Ad Joan. Ludouicum Hainzelium Patr. Auguſtanum.



QVem cœlo tollit patientia, vitaq́ caſta:
Sancta fide pietas, & pietate fides:
Carcere, ſeruitioq́ Ioſephus liber; honore
Inclytus, Aegyptum duxq́, paterq́ regit.
Qui patitur, vincit: patientia ſola triumphat
Magnificè: ſi vis vincere, diſce pati.

XIV.

Manet immutabile fatum.

Ad P. Meliſſum Schedium.



IMmutabile quod manere fatum;
Et quod fixa ſemel Dei voluntas
Mutari ſolet haud minis malorum,
Aut diris hominum, dolisq́ cæcis:
Præſagum docet hoc, Ioſephe, veri;
Sortis munera ſomnium beatæ.
Spondens: quum tibi mergites in agro
Vndenas: totidem vides in æthra

Stellas

Stellas cedere rurſus: immò Phœbum,
Et Phœben tibi ſupplicare: quondam
Fratrum ſcilicet vndecim, patriſq́;
Et matris tibi Principi futuro:
Aequis Dîs ſuperis, boniſq́; fatis.
Sic te vatibus omnibus, Meliſſe,
Phœbo te patre, matre te Thaleia,
Cultis eſſe modis potentiorem:
Sic (inquam) voluêre Dȳ beati:
Et quicquid voluêre Dȳ, peractum eſt.
Sic Cæſar ſacer inde Ferdinandus
Edixit: tibi plena conferendo
Olim munera maximorum honorum.
Ecquis, Paule, neget, Deo volente,
Immutabile ſic manere fatum.

XV.

Sum, & ero.

Ad Andream Vuinclerum.



FRondibus illæſis rubus ardet in igne perenni:
Dum videt hoc Moſes, & ſtupet, atq; pauet:
Continuò faciem nudo pede velat. at ignis
Quærenti: SVM, quem cernis, EROq; refert.
Si neſcis, rubus eſt Chriſtus: ſub duplice forma
Verus homo, verus nomine, req; Deus.
Flamma Deum viuens, hominem rubus ima figurat:
Indelibata virginitate ſatum.

Suſtinet

Suſtinet humanam ſtirpem ſtirps dia: ligata
Fœdere cui ſancto tempus in omne manet.
Semper hic eſt, & ſemper erit dux ſpontè piorum:
Felix, qui tecto ſic videt ore Deum.
Ignis edax Deus eſt: procul hinc procul eſto profanus:
Qui ſe oculis numen poſſe videre putat.
Nam neq; ſe tangi patitur, neq; lumine cerni:
Qui fida credi vult ſibi mente Deus.

XVI.

Secum feret omnia mortis.



Ad Balthaſarem Neandrum.

DVm cadit igniuomis gens morſa Ebræa colubris
Plurima: cœleſtes fortè peroſa cibos:
Fert Moſes pia vota Deo: colubrumq́; trabali
Arbore ſuſpenſum cernere quenq; monet.
Continuò læſis redit in præcordia virtus:
Et vigor, & vitæ certa medela nouæ.
Fallor? an hic ſerpens es aheneus, in cruce quondam
Pro noxa fixus, Chriſte benigne, mea?
Tu me lethiferi ſerpentis morſibus ictum,
Aſpectu ſanas, viuificasq́; tuo.
Da fidei quoq; te contempler lumine Chriſte:
Tu lux es vitæ, ſpesq́;, ſalusq́; mea.

XVII.

Victrix fortunæ patientia.

Ad Bonauenturam Roslerum.



NOn opibus mentes hominum, curæq; leuantur:
Euertit magnas ſors quoq; triſtis opes.
Aurea ſollicitas vincit patientia curas:
Solius immenſo fulta fauore Dei.
Exemplum quæris? pietatis cultor, & æqui,
Dum fruitur partis Iobus, ouatq; bonis:
Perdit opes, natos, pecudes, contemptus, & æger:
Conſtanti ſuperat ſed mala tanta fide.

Felix, qui magnos ſuperat virtute labores;
Auxilio fretus, præſidioq́ Dei.

XIIX.

Vindice fato.

Ad Martinum Thaburnum Phil. & Theol.



I*Mbellis Dauid Goliadi cæde furentis*
Membra, breui funda, prodigioſa ferit.
Quò Sathanam ſuperes victor, ſæuosq́ tyrannos:
Non opus eſt conto, non opus enſe fero:
Sufficit, & caſus pietas perdurat in omnes:
Armaq́ dat conſtans, & ſine labe fides.

Plus

Plus Dominus verbo, quàm vi valet efferus hoſtis:
Si cæleſtis adeſt gratia præſtò, ſat eſt.

XIX.

Forti fortior alter.

Ad Georgium Helmericum.



D*Vm leo veſtigat prædam, ſiluasq́; fatigat*
Curſibus, & montes terret, agrosq́; ferus:
Fertur in hunc Simſon: & magno concitus æſtro
Sternit humi, cæſum tam violente manu:
Sicq́; Palæſtina gaudens vxore potitur:
Et mel de cæſo dulce leone rapit.

Simſon eſt Chriſtus: Sathanas Leo: fortis vterq;,
Ceu leo magnanimus: fortis at ille magis.
Prædæ inhians hominum Sathanas dum territat orbem:
Fuſus humi, Chriſti voce, manuq́; cadit.
Coniuge ſic potitur coniux Eccleſia Chriſto:
Nectare quam paſcit victor, & ambroſia.

ALIVD.

Morte ſua Simſon dux portas frangit, & hoſtes:
At Chriſtus frangit Tartara morte ſua.

XX.

Quà proceres abiêre pij.



In Sadducæum.

Quid

QVid dubitas, homines defunctos tempora lucis,
In vitam rurſus poſſe redire nouam?
Si Deus eſt, Deus eſt viuorum: mortua turba
An laudare Deum, muta ſilensq́;, poteſt?
Sic Enochus cælo viuit, viuitq́; beatus
Elias: cælum viuus vterq; ſubit.

XXI.
Sex mundi Chiliades.
Ad Joan. Baptiſtam Hainzelium, Patr. & Septemuirum Auguſtanum.



Sex mille mundi annos prædixit Elias:
Ter maximus vates Dei.

Bis mille ſunt anni, vacuum: bis mille, Lex:
Bis mille, tempus Gratiæ.
Primum ſuo receſſu millenarium,
Deo placens, expers necis,
Claudit, per arduum ſublatus æthera,
Sapientiæ dux Enochus.
Fidus ſecundum iuſtitiæ præco Nohas:
Mundi vtriuſq; & incola.
It Elias cælo vates, ſub tertium
Aeuum, quadrigis igneis.
Quarto ſed æuo, viuus in cælum redit
Mortis triumphator Deus:
Ad dexteram nunc proximus ſedens Patris:
Princeps futuri ſeculi:
Quem cælitûm radiantem honore mox nouo
Speramus adfore iudicem:
Cælos nouos, terras creaturum nouas:
Piјs daturum præmia,
Pœnas malis: quorum Deus quinto ferox
Regnare cæpit ſeculo:
Trux Antichriſtus; hoſtis & Dei, & Deum
Pura colentium fide:
Forti domandus cælitûm rurſus manu,
Sexto malignus ſeculo.
Donec nouo imperans beatis ſeculo,
Sit omnia in omnibus DEVS.

Quatuor

XXII.

Quatuor mundi ſumma imperia.

Ad Modeſtinum Piſtorium Juriſconſultum.



QVam videt in ſomnis ſtatuam Babylonius heros:
Quattuor hæc mundi regna futura monet.
Argento pectus, caput auro, venter aheno,
Crura micant ferro, plantaq; mixta luto eſt.
Perſarum argentum, Chaldæûm ſcilicet aurum,
Aes Graiûm, ferrum Romula regna notat:
Ferrea pars plantæ, Mahometi regna potentis:
Cætera ſignificat fictile regna lutum.

Fallor?

Fallor? an hæc lapis, abſq; manu, de monte volutus
Comminuet celſa rector ab arce Deus?
Imperium ſine fine pijs cæleſte daturus:
O liceat regi plaudere ritè nouo.

XXIII.

Symbola quatuor Monarchiarum, ex Daniele.

Ad Leonhardum Badehornum Iuriſconſultum.



QVattuor in ſomnis ſub imagine regna ferarum
Aſſyrio Daniel vidit in orbe pius.

Prima

Prima Leo, geminis alis, & corde refulgens
Humano, pedibus ſtat fera nixa ſuis:
Aſſyrios ſignans reges, primosq́; Monarchas:
Quos Babylon, & quos Media clara tulit:
Quos inter Nabuchodonoſor clariſsimus vnus,
Imbuitur vera cognitione Dei.
Altera tergeminis armata eſt dentibus Vrſa
Beſtia; quæ Perſis aſsimilata fuit:
Tres dentes, totidem reges, cum Xerxe, Darium,
Et Cyrum, regni robora magna notant.
Pardalis Argolicos ſignat fera tertia reges:
Quattuor alarum quæ, capitumq́; fuit.
Quattuor in reges regnum diſcerpitur vnum:
Quum citò perdomito victor in orbe iacet.
Quarta refert ſceptrum Romani beſtia regni:
Dira cui facies, & truculenta nimis:
Ferratos iactat dentes, & cornua dena:
Et paruum cornu fronte minace latet:
Os, oculosq́; gerens hominis: tria magna reuellens
Cornua: cœlitibus bella nefanda facit.
Si neſcis, totidem veterum ſunt regna Quiritum:
Sed cornu paruum te, Mahomete, refert:
Impius, & magni cum Dijs contemptor Olympi,
Aduerſus ſummum qui capis arma Deum.
Florentes Aſiæ populos, vrbesq́; Pelaſgas,
Et Memphim ſubigis, palmiferamq́; Pharon:

Cætera regna ſuis parent dominata tyrannis:
Sola, caput rerum, Teutonis ora manet:
Septem clara viris, toti quæ præſidet orbi:
Cæſaris & ſedes, imperijq́; domus.
Quid reſtat? finis regni certiſsimus inſtat:
Nam reparat mundo ſecula ſancta Deus.

XXIV.

Mundi Imperia, Eccleſiæ hoſpitia.

Ad Vuolſgangum Meurerum Medicum & Philoſophum.



CVlta Dei palmis, ramis felicibus Arbor
Surgit: in immenſum viribus aucta ſuis:

Mole

Mole ſua ſtans celſa, & vertice nubibus æqua:
Immenſo ramos pandit in orbe ſuos.
Sufficit irriguam cunctis animalibus vmbram:
Et brutis victum dat, populisq́; bonum:
Alituumq́; choro ſedem virgulta miniſtrant:
Luxuriatq́; ſuis fructibus omne ſolum.
Scilicet hanc olim vidit per ſomnia Cæſar
Aſſyrius: verum ſomnia ſæpe monent.
Sortitur rex ſceptra Deûm ſupremus in orbe:
Regna viris, armis inſtruit vſq; viros.
Nobilis hæc arbor, mundi ſunt regna potentis:
Suffugium brutis dans, hominiq́; ſuum.
Namq; ſub hac vmbram captans Eccleſia lætam:
Semper habet tutos, feſſa labore, lares.
Inde cibus pecori ſuus eſt, hominiq́;: beata
Pace ſub hac cunctis fas, requieq́; frui.
Salue arbor, plantata Deo: floreq́; per omne
Aeuum, perpetuis inuiolata comis.

XVV.

Donec totum impleat orbem.

Ad Georgium Calaminum Sileſium.



BEſtia quid ſibi vult quadruplex, & rota? mundi
Quadrifidum per ſe quæ replet omne latus?
Quadrifidum per ſe, ſine ductu, peruolat orbem,
Vox Euangelij, cælitùs acta, ſacri:
Quattuor auctores cui dant ſua nomina: ſignat
Quos Aquila altiuolans, Taurus, Homo, atq; Leo.
Quod ſit homo Chriſtus, quod ſit Deus; vnus & alter:
Quod doctor, reliqui, ſacrificusq;, docent.

Princi-

XXVI.

Principium, & ſinis.

Ad Chriſtum.



LAbentem tacitè quod claudit, & incipit annum
Menſe ſuo; Ianus fingitur eſſe biceps:
Ah valeant figmenta: ſator tu Chriſte dierum,
Annorumq́; mihi maximus vnus eris.
Principium tu das anni, ſinemq́; beato
Ortu: te primum publica vota canunt.
Luce bona bona verba ſonent: da, Chriſte, precamur:
Candidus, & felix vt nouus annus eat.

XXVII.

Monſtrant regibus aſtra viam.

Ad Jeſum Chriſtum, Pontificem & Regem Opt. Max.



IEſu, lux mundi; ſpes, & ſolatia noſtri:
O & ſalus mortalium.
Quam ſtrenā tibi, Chriſte, feram? quæ munera reddam,
Voti reus, natalia.
Terna ferunt tibi dona Magi tres: Pontificemq́;
Suum, & Deum, & Regem colunt:
Terna tibi iam dona fero quoq;: Pontificemq́;
Meum, & Deum, & Regem colo.

Aurum,

Aurum, caſta Fides: thus eſt Oratio ſimplex:
Crux myrrha, lethi neſcia.

XXIIX.

Conſilio firmata Dei.

In Apellam.



QVid ſanctum iactas in corpore fœdus Apella
Fœde tuo? ſignum fœderis iſtud erat.
Naſcendum ſignans Abrahæ de ſemine Chriſtum:
Iam vênit, ſancta virgine natus homo.
Fœderis ille noui dux eſt, & maximus auctor:
Infida fœdas quod malus vſq; fide.


Sordibus

Sordibus ablutos culpæ nos fonte ſalubri,
Copulat vna ſacri corporis eſca fide.
Qui ſapis, hoc fœdus ſanctè ſeruare memento:
Quo læſo, ſuperis nemo placere poteſt.

XXIX.

Non inferiora ſecutus.

Ad Georgium Vuolfgangum à Vuel-uuarth, Eq. Sueuum.



DVm diuina colens in templo ſacra, parenti
Morigerus Chriſtus pâret vtriq; puer:
Proficit ætate, & ſapientis munere mentis:
Ante homines pariter carus, & ante Deum.

Quid monet hoc, Vuolfgange, rogas? aduerte, docebo:
Te Domini ſimilem ſic decet eſſe tui.
Diſce timere Deum: matri parêre, patriq́;:
Atq; Deus mandat quem patris eſſe loco.
Diſce bonas artes, ſanctiq́; oracula verbi:
Sis caſtus vita, moribus vſq; probus:
Sic creſces æuo, ſapientia, & arte beatus:
Sic homini carus, ſic potes eſſe Deo.

XXX.

Lux fidei, bona opera.



Ad Joannem Philippum Stibarum
Eq. Francum.

NOn eſt vera fides, quam iactitat ore, malignus
Pectore: non eſt hæc vera, Philippe, fides:
An Sol eſſe poteſt ſine lumine? & an dare flammas
Ignis lucentes, abſq; calore, poteſt?
Monte ſitam celſo quis non, niſi cæculus, vrbem,
Conſpicuam caſtris, turriculisq; videt?
Lampada ſub modio quorſum cœlare coruſcam
Attinet? in tenebris quæ benè monſtrat iter.
Lux fidei ſunt ſancta opera: hac ſine luce, beata
Nulla fides: nec ſunt ſancta opera, abſq; fide.

Lex,

XXXI.

Lex, & Euangelium.

Ad Joannem Heſſum Theologum.



PEr brumam noctu quod cogit frigida Luna
In glaciem: rurſus Sol liquat omne die.
Sic lex ſi quid dura ligat: mox gratia rurſus
Mitigat: & vitæ ſpem melioris alit.
Fulmine quem legis Moſes deturbat ad Orcum:
Filius hunc transfert rurſus ad aſtra Dei.
Seminecem recreat Samarites: myſta relinquit:
Sanat & infuſo vino, oleoq́ libens.

Sol eſt iuſtitiæ, Chriſtus: lex, vmbra: merentem
Lex damnat: Chriſti gratia ſola beat.

XXXII.

ΑΔΙΚΟΝ Ο ΠΛΟΥΤΟΣ.

Ad Carolum Vuolfgangum Rechlingerum, Patr. Auguſtanum.



O Quàm difficile eſt, opibus non tradere mores:
Quando ſolent auro tanta ſubeſſe mala.
Non benè conueniunt, nec in vna ſede morantur
Sancta fides, & opum luxurioſus amor.

Nec

Nec facile eſt, cæli locupletem tangere limen:
Cæcus inutilium quem coquit ardor opum.
Intortúmne in acu vagus vnquàm nauta rudentem
Traijciet? fieri vix ego poſſe puto.
Fila minutatim legat impiger, atq; reſoluat
Singula: ſic per acum fila replicta trahet.
Porta breuis cæli eſt: quam ſi penetrare laboras:
Deſine opes nimium diues amare tuas:
Deſine ſarcinulis humeros onerare moleſtis:
Vtere diuitijs, ceu decet, vſq; tuis.
Quod ſupereſt, largire bonis, & egentibus vltrò:
Quamq́; potes, miſeris omnibus affer opem.
Sic aptus cæli ſedes es adire beatas:
Prælucet pedibus ſi modò ſancta fides.

XXXIII.

Vnus pro multis. Manet inſontem grauis exitus.

In Chriſtum crucifixum.



HEu quantus dolor eſt, mundi pro crimine, mortem
In cruce tam miſeram te, bone Chriſte, pati.
Mors ſit vita mihi: crux ſit tua ſancta voluntas:
Dulce mihi tecum viuere, dulce mori.

TH. P.

Pro ſeruis dominus moritur: pro ſontibus inſons:
Pro ægroto medicus, pro grege paſtor obit.

Pro

Pro populo rex mactatur: pro milite ductor:
Proq́ʒ opere ipſe opifex: proq́ʒ homine ipſe Deus.
Quid ſeruus, ſons; ægrotus, quid grex, populusq́ʒ,
Quid miles, quid opus, quidúe homo ſoluet? Amet.

XXXIV.

Mors morte pianda.

Ad Victorinum Strigelium.



DVm diuina fugit Ionas mandata per æquor:
Opprimit hunc moti cœlitus ira maris.
Faucibus excipitur ceti: latet abditus aluo:
Donec obit ternas noxq́ʒ, diesq́ʒ vices.

Redditur

Redditur epotus terræ: ſoſpesq́ per vrbes
Iam peragit magni iuſſa verenda Dei.
Sic Chriſtus patris in terris dum iuſſa capeßit:
Mortem ſponte inſons, immeritusq́ luit.
Conditus obſcuræ latet intra viſcera terræ:
Dum ter ab Eoo Sol redit orbe nouus.
Tunc iterum victor, ſpolijs Acheronte receptis,
Cum patribus vitæ tempora lætus agit.
Luci nox, vitæ mors hic ſubit: altera donec
Lux noctem excipiat, altera vita necem.

XXXV.

Spes altera vitæ. Mors ianua vitæ.

Ad Henricum Petræum Herdeſianum.



QVis putet? in caueis, Brumæ ſub tempus, hirundo
Stertit; & in rimis muſca ſepulta ſuis?
Atq; coaxatrix in aquoſis rana cauernis:
Sole quibus tepido vita, vigorq; redit.
Sic quoq; funereis requieſcunt clauſa ſepulcris
Mortua ſanctorum tempore membra breui.
At ſurgent iterum, cœleſti rore rigata:
Et ſument viuum tunc renouata decus:

Quum feret extremi Sol lumen ab axe diei:
Et tuba cæleſti reddet ab arce ſonum.
Fallitur, extingui qui vult cum corpore mentem:
Quæ duo perpetuo fœdere nectit amor.

XXXVI.

Pignora cara ſui.

In D. Petrum, Ieſu Chriſti Apoſtolum.



P*Aſſurum ter, Petre, negas: ter amare fateris*
Te Chriſtum vera ſimplicitate Deum.
Paſcis oues Chriſti ſic crimine liber ab omni:
Obſignasq́ fidem ſanguine, Petre, tuam:

Atq;

Atq; premens ſancti veſtigia nota Magiſtri:
Morte tua conſtans, in cruce fixus, ouas.

XXXVII.
Merces ſublimis honorum.
Ad Stephanum Endorferum Patr. Auguſtanum.



IVſtitiæ, Stephano cum ſancto, ferre coronam
Si cupis: & dignè nomen habere tuum:
Sis pius, & ſoli Chriſto confidere diſce:
Et vitæ ſanctæ laude placere Deo.
Diſce tuæ fidei rationem reddere: diſce
Pro Chriſti verbo triſtia quæq; pati:

Spernere mortales curas, cœlumq́; tueri
Diſce: & amare bonos, & tolerare malos.
Si facis hoc, rectè viuis, morerisq́; beatè:
Et tibi iam cœli regia magna patet:
Qua Deus in ſanctis ſua munera ſancta coronat:
Sic Stephani meritò nomen, & omen habes.

XXXIIX.

Miles Chriſtianus.

Ad Jacobum Redigerum, Patr. Vratiſlauienſem.

Galea ſalutis.

Cingulum veritatis.

Gladius ſpiritus.



Scutū fidei.

Lorica iuſtitiæ.

Calciamenta prædicationis Euangelij Pacis.
Gladij ſunt 7. omnium maxima vitia, Ignauia, Ira, Gula, Auaritia, Superbia, Luxuria, Inuidia.

Militat omnis homo, qui dat ſua nomina Chriſto:
  Qui pius, & probus eſt, militat omnis homo.
Sancta Dei qui caſtra colit: paret arma neceſſe eſt
  Apta ſibi: miles quæ dare nemo poteſt.
Cælitùs hæc dabit arma Deus ſacra ſæpe rogatus:
  Si geris hæc, miles iam potes eſſe bonus.
Sit galea, alma Salus: verbum cæleſte, ſit enſis:
  Sit clypeus fulgens ære, animoſa fides:
Adde his iuſtitiæ loricam: & cingula veri:
  Pax Euangelij det tibi calceolos.
Scilicet his hoſtem vinces animoſus in armis:
  Si comes eſt tibi mens conſcia, duxq́ fides.

XXXIX.

Speculum hominis peccatoris.

Ad Joan. Henricum Heruuartum,

Patr. Auguſtanum.

Diuinum iudicium.



Puteus infernalis.

SI neſcis, quis ſis, Homo; me, precor, aſpice: noxæ
Quem grauat, & læſi iudicis ira Dei.
Aſpice, quot gladijs ex omni parte cruentis
Perfodiar: fugiam quò miſer, alme Deus?
Cælitùs impendet ſupra caput enſis acutus:
Iuſtitiæ vindex, criminis vltor atrox.

Me

Me ſubter, Stygis atra palus, puteusq́; doloris,
Et necis, inſinuat mille ſubinde metus.
Tela tegit puteum, quem fecit aranea putris:
Suſtinet hæc ſellam, qua requieſco, meam.
A dextra, Sathanas, & Mors: à parte ſiniſtra
Imminet enſe mihi Culpa, Caroq́; ſuo.
Mens abit, & morior, quoties mala tanta recordor:
Sic viuo, vitæ neſcius ipſe meæ.
Me miſerum, quis me tantis ſine fine periclis
Liberet? hoc ſolus tu potes, alme Deus.
Et potes, & facis hoc, Deus alme: quid ergo timebo?
Spes vires, animos dat mihi certa fides.

Princi-

XL.

Principis boni imago.

Ad D. Georgium, Principem Lignicij, & Brigæ in Sileſia, &c.



QVod monſtrum? Draco. quæ nympha? Eccleſia ſancta:
Perſequitur rabido quam ferus ore Draco.
Cur auro formoſa nitet? formoſior auro,
Quam colit, eſt pietas, relligioq́; Dei.
Cur gemit, & lacrymat? luget miſerabile fatum;
Pro ſancta patitur quoa pia virgo fide.

Quis

Quis catafractus eques? virtute Georgius heros
Inclytus, & vera relligione Dei.
Quem petit? infido pugnantem Marte draconem
Impetit: & nympham liberat enſe ſacram.
Liberat: atq; domum ſecum cum pace reducit
Victor: & amplexu iam propiore tenet.
Iamq; ſuos in pace regens, colit arua, colonos
Sedulus: atq; ſuum nomen, vt omen, amat.
Sic armis decet eſſe ducem, paciq; paratum:
Pace bonus rex, & dux ſit vt enſe bonus.

FINIS.

IOHANNIS ORTELII CYGNOCOMAEI MELOS DE EMBLEMATIS N. REVSNERI IC.

ΣΤΡΟΦΗ.

Ἀρετᾶν ἀπεβέβληκε νηρίτους
Εἰκόνας θεὸς αἰθέ-
ρι, καὶ χθονὸς ἐρατεινᾶς ζωδίοις.
Κόσμος δὲ δημιουργοῦ ἐς βροτὸν
Πέλε βίβλος· ἐν τᾷ γραφαὶ πολίφαμαι
Ἠθῶν. Ἑκάστοτε μεμνῆσθαι ἐφετμέων
Οὗτο βιαζόμεθα.
Αἰσχρότης δ' ἀκαδημιέρη-
τος ἀκηδεῖν δελταείου
Γράμματα τοῦτου δυσμαθῆ
Ζῶα, καὶ λοιπῶν γενεάς.

Ἀντιστροφή.

Ἀνακῶς ἄρα δηλοῦσιν ἐντολάς
Καὶ σοφίσματ' ἄδηλα
Κλυτοῦ φύσεος ἄρεσκοι θυσκόοι.
Τέρπουσι γὰρ, καὶ ὠφελοῦσιν. Οἳ
Τελέουσιν ἐμβλήματ' ἐς πολύεδνον
Κόσμον. Παλαιογόνοι καθάπερ σοφισταὶ
Ἤθελον· Οἱ διδαχὰς
Καταγραφαῖς ἱερογλυφικαῖς
Ἔδοσαν· ζώων τε φύσεις
Στέμματα θ' ἡρώων στράφου
Πρὸς θεοδμάτους ἀρετάς

Ἐπῳδός

Ἐπῳδός.

Οὕτω, φρένας ἀφνεὲ ῬΕΥΣ-
ΝΗΡΕ, πολυκλύτῳ ἑρμηνείαν ἀργὸν
Σύμβαλες κόσμῳ, στεφανῶν ζαθέαν
Κπσμάτων βουλάν. Ἀρετάς τ'
Ἠθέων οὕτω δίδαξας
Εὐκλεεῖς· ὡς ἄκριτον,
Εἴ τι γ' ἑρμηνεύς σου κρέσσων
Τᾶς φύσεως, ἀρετάς
Κατεχούσης· ἀπείρων ἣ φύσις
Λώϊον γραφθεῖσα φαί-
νῃ Θεοῦ λαμπρὸν θέλημα.

NICOLAI REVSNERI LEORINI SILESII, IC. ET P. C.

STEMMATVM, SIVE ARMORVM GENTILITIORVM LIBRI TRES.

Jeremias Reuſnerus Leorinus recenſuit.



FRANCOFORTI AD MOENVM ANNO M. D. LXXXI.

AD IOAN. FRIDERICVM, ET IOAN. HENRICVM SCHERTELINOS, A PVRTEBACH, IO. SEBASTIANI FF. SEBASTIANI Eq. aur. NN. optimæ ſpei, atque indolis adoleſcentes:

Jeremiæ Reuſneri Epiſtola.

LIBELLVM hunc de ſtemmatis, ſiue inſignibus gentilitijs clarorum hominum; quem vnà cum Emblematis in publicũ prodire volui; vobis ego potiſſimùm mittendum eſſe duxi, Io. FRIDERICE, & Io. HENRICE: partim ob mirificam indolem animi, ingeniją; veſtri: quæ ſpẽ mihi magnam affert ſummæ probitatis, atq; virtutis: partim ob cõſuetudinem domeſticam, & familiaritatem cotidianã cum fratre meo: cuius ego iſtud quaſi teſtimoniũ, & monimentum ſempiternum exſtare volo. Permagni enim referre puto: eiuſmodi ornamenta honoris, & documẽta nobilitatis, poſteritati propagare: non ſolùm ad me-

ad memoriam laudum domeſticarum: verùm etiam ad vſum, atq; imitationem. Quippe quę bellicæ, & togatæ laudis, victoriæq́; inſignia, & veluti quædã tropæa ſunt: & præterea maximarum virtutũ inuitamenta, atq; laborum: quibus alij excitati, confirmatiq́; in officio, res magnas gerant, & arduas, hominumq́; generi vniuerſo ſalutares. Quod ego inprimis vobis faciendum eſſe cenſeo: vt quum ijſdem vtamini inſignibus laudis, & monimentis gloriæ, cum maioribus veſtris: eorum ſapientiæ, induſtrięq́; veſtigia ſequamini: & cùm aui veſtri, Sebaſtiani Equitis Aurati, virtutem, rerumq́; geſtarum gloriam ſtudioſe æmulemini: tùm verò patris veſtri Ioan. Sebaſtiani; qui auitam laudem præclarè, fortiterq́; tuetur: ſpem, atq; expectationem, quam ſemel concitaſtis; non modò ſuſtinere induſtria, & probitate: verùm etiam pari virtute, & doctrina ſuperare ſtudeatis. Valete. Viennæ Auſtriæ. Kal. Sextil. M. D. XXC.

NICO-

NICOLAI REVSNERI LEORINI SILESII, IC. ET P. C.

STEMMATVM, SIVE ARMORVM GENTILITIORVM LIBER PRIMVS.

I.

Aquila D. Maximiliani II. *Caſ. Auguſti.*

Nulli præſentior æther.

SVbuolat vt grauibus Iouis armiger altiùs alis:
Atq; ferit pennis ſidera celſa ſuis:
Sic tua te virtus, & gloria nubibus æquat
MAXIME, Cæſarei firma colũna throni.
Tempus erit, quando, cæleſti ſede receptus,
Splendidius Luna, Soleq; ſidus eris.

II.

Ad inſignia D. Rudolphi II. *Caſ. Auguſti.*

Tu decus omne tuis.

Signa, pares Aquilæ, Romana, & Struthio, & Ibex
Cur armant clypeos, Diue Rudolphe, tuos?
Fallor? an vt volucrum regina triſulca miniſtrat
Arma Ioui, cæli dum ſuper aſtra volat:
Sic pius arma Deo Cæſar, ſic tela miniſtrat:
Pro cultu ſuperûm dum pia bella gerit.
Fortibus altiuolans pullos ceu baiulat alis:
Sic humeris Cæſar ſuſtinet orbis onus:
Dum populis pacem defendens, iuſtitiamq́;
Aſſerit imperij iura, decusq́; ſui:
Pro grege ſic promptus mortem, pro lege paciſci:
Si ſit opus, vitæ prodigus ipſe ſuæ:
Pro pullis transfixa ſuis ceu cuſpide ferri,
Sponte ſuper nidum Struthio magna perit.
Quæ dum cælum vno videt, vno lumine terram:
Exemplo regem ſic docet herclè ſuo:
Cultorem pariter diuûm, patriæq́; parentem,
Pro cælo curam, proq́; ſolo gerere:
Pendere lance pari cauſas: ius omnibus æquum
Reddere: ceu pennas vibrat vbiq́; pares

Struthio:

Struthio: quîs galeas rex victor, equoſq́; coronat:
Symbola militiæ gaudet & eſſe ſuæ.
Sic cælum petitur: Capicornus vt, & Iouis ales
Armiger, in cælo ſidera clara micant.
Sic fauor in terris hominum, ſic fama paratur:
Struthio ceu pennis ornat honora caput.
Sic laus virtuti, ſic fors datur æqua labori:
Laudatas Pauo ceu tibi monſtrat opes:
Qui medio fulgens, cauda tot ſidera portat:
Proximus huic ſtellas quot Capricornus habet:
Quo nullum Cæſar fortunæ credidit olim
Auguſtus ſignum certius eſſe ſuæ.

III.

De ijſdem

DIALOGVS.

QVid ſibi vult Aquila, expanſis quæ iubilat alis?
Splendida Romani Cæſaris arma gerit.
Cur capite eſt bifido? Romanum ſignat vtrumq;
Imperium: quod habet Solis vtramq; domum.
Cur alis tot ſigna tegit? tot regna tuetur:
Ceu pullos alis regia geſtat auis.
Quid triplex caßis ſibi vult clathrata? triumphos
Cæſareos, partos Marte togáq;, notat.
Quid triplex gemmis fulgens, auróq; corona?
Cum ſceptro regem nempe corona decet:
Aurea iuſtitiam, ſplendorem argentea, robur
Ferrea, tergemino ſignat in orbe data.
Struthio quid? regem cœlum, terramq; tueri:
Cultorem eſſe Dei vult, patriæq; patrem.
Semifer Aegoceros quid? ſortem ſpondet amicam:
Sic olim Auguſto, ſic dedit arma Ioui.
Pauonis quid cauda? decus virtutis auitum
Signat: cui comes eſt gloria, laus, & honos.
Trux Aries quid vult? eſt ſacri fœderis index;
Quo colit aurati velleris ordo fidem.
Ceu Iaſon, ſocia Colchos cum claſſe profectus
Aurea Phryxeæ vellera iactat ouis.

IN LEO-

IV.

IN LEONEM PALATINVM.

Ad D. Ludouicum, Principem Elect. Palatinum.

In vtrumq; paratus.

DIALOGVS.

QVid, Leo, quid ſic lætus ouas, rex magne ferarum?
Arma Palatinis me dare Principibus
Gaudeo; quos ingens tollit ſuper æthera virtus.
Cur tua fert gladium dextera, læua globum?
Protegit inſontes, ſontes vlciſcitur enſis:
Præſidio tuta eſt machina tota meo.
Fronte quid inſigni radiat gemmata corona?
Aurea victorem nempe corona decet.
Laude Palatini primam meruêre coronam:
Inter Germanos gloria prima duces.

V.

IN RVTAM SAXONICAM.

Ad D. Auguſtum, Principem, Elect. Saxoniæ.

Te ſtante virebo.

SErpentes, catosq́ fugat, prohibetq́ venena
Ruta virens: oculis certa medela malis.
Fœda Venus quos vexat, adulandiq́ libido:
Cordati procul hos Principis aula fugat.
Peſtis enim regni ſunt magna, venenaq́ certa:
Quæ prohibent oculos cernere vera ducum.
Adſit Ruta virens, heroum nata coronis:
Splendida Saxonicæ quæ decet arma domus.
Caſtus amor, verumq́ potens, & candor in aula,
Simplicitas prudens regnet, & alma fides.
Scilicet hæc olim caſti Bernardus amoris
Symbola Septemuir cenſuit eſſe ſui:
Vrbe redux Veneta, quum Saxona regna capeſſens,
Mutauit clypeos gentis, & arma ſua.
Salue Ruta potens, longum frondoſa per æuum:
Imploretq́ tuam veſper, & ortus opem.

Ad in-

VI.

Ad inſignia domus Brandeburgicæ.

Precium non vile laborum.

Sceptra, roſas, aquilas, gryphes, bicolore leones
Cum campo, Princeps Marchio ſigna gerit:
Stemmata virtutis proauitæ ſplendida. regni
Sceptra poteſtatem nempe ſuperba notant.
Felix auſpicium, volucrum regina, Deûmq́;
Præſenti tutas numine ſpondet opes.
Munificam gryphes mentem, fortemq́; leones,
Ac titulos partos Marte, vel arte docent.
Supplicibus faciles campi color albus: at ater
Significat dominos ſontibus eſſe truces.
Sed famæ decus, & regum roſa ſignat amorem:
Imperij celſum quo meruêre locum.

Ad D.

VII.

Ad D. Albertum, Principem Boiorum.

Celſa poteſtatis ſpecies.

CLara ſit vt regum virtus, & fama priorum:
Quos bellax Latium iactat, quos Græcia victrix:
Herculis anteſtant Alemanni fortia facta.
Ille Palatinæ dux gentis, & vltimus auctor;
Sanguine magnanimi proauito Tuiſconis ortus;
Flos veterum, virtusq́; virûm: laus maxima gentis
Teutonicæ: maiora fide quoq; geſsit: & orbem
Impleuit meritis. viuos, genus acre, leones
Secum habuit comites: ſi quando in bella profectus
Herculeas ſumptis vires oſtenderet armis:
Quum non terga fugæ, ſed apertæ pectora pugnæ
Præberet: metuendum animo, & virtute leonem,
Fortibus & factis imitatus: imagine cuius
Fulgentem ornauit clypeum tandem inclytus auro.
Ergo Palatinæ clypeos Leo gentis auitos
Ornat adhuc; vaſto ſpectabilis oris hiatu,
Arduus, alta petens, veterum geſtamen auorum.

Ad in-

IIX.

Ad inſignia domus Palatinæ.

Parcere ſubiectis.

ARma Palatinæ quid ſignat ſplendida gentis
Aureus, in nigro qui fremit orbe, Leo?
Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos
Nempe docet morum nobilitate duces.
Terror hic eſt hominum: proſternit corpora tantùm:
Proſtratis parcit mitior inde Leo.
Signa ducum tulit hæc olim quoq; dux Agamemnon:
Et Nemeæ cuius concidit enſe leo.
Aemulus Alcides Alemannus, & inclytus heros
Propria quæ genti dedicat inde ſuæ.

IX.

Leo Palatinus.

Ad D. Carolum, Goſtaui F. Principem Finnoniæ, &c. S. P.

Præſidio bonis, terrori malis.

QVæ, Veneris iuſſu, Charites aulæa ſuperba,
Artifici ferimus, Carole, picta manu:
Accipe: Finnonicæ Dux inclyte gentis: & hæres
Carole Gotthorum rex, Sueonumq́; potens.
Aureus iſte Leo eſt: Alemanni nobile munus
Herculis: à quo gens Boia nomen habet:
Quæ modò Rhenani moderatur ſceptra Palati:
Scilicet hac coniux eſt noua gente ſata:
Principis illuſtris Ludouici filia Quinti:
Septem de ducibus quem ſua Roma colit.
Magna iuuant magnos: magnum decet eſſe Leonem:
Qui vult inuicti nomen habere Ducis.
Cur? animo magnus Leo, rex dominusq́; ferarum
Quadrupedum: ſomnis peruigil: vngue minax:
Sponte ſua parcit proſtratis: dentibus vrget,
Quos videt armata velle nocere manu.
Sic & magnanimum regem, populiq́; parentem,
Pro regno fas eſt peruigilare ſuo:
Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos:
Innocuis damnum, vim prohibere bonis.

Talis erat quondam Leo, cum Patre filius Hyllus
Hercule: cui nomen fecit vtriq; Leo.
Talis Boiorum priſcus Sator, Herculis olim
Aemulus Alcidæ, rex Alemannus erat.
Talis & , Vgrorum terror, Lutholdus, & alter
Arnulphus: Boiæ ſidus vterq; domus.
Talis Septemuir Primus Ludouicus: Othone
Cum Patre, qui Magni nomen, & omen habet.
Talis Rupertus: talis Ludouicus: vterq;
Cæſar, & imperij rexq́; paterq́; ſacri.
Deniq; (ne morer exemplis æquantibus ipſos)
Talis auus Sponſæ dux Fridericus erat.
Quam dum coniugio ſtabili tibi Carole iungis:
Tot tantosq́; duces iungis amore pari:
Tot tantosq́; duces geniturus, coniuge magna:
Ceu fortis quæ te prole Leæna beet:
Prole beet ſancta, fortiq́; bonaq́;: paternum
Quæ geminet morum nobilitate decus
Auguror: augurium firmet Leo fortis Iudæ:
Qui rex eſt regum, dux & in orbe ducum.

X.

Vrſus Finnonicus.

Ad D Annam Mariam D. Ludouici V. El. Palatini, & Ducis Boiorum F. S. P.

ETte, Sponſa decens, donat Cytherea tapete:
Anna Palatinæ ſtella Maria domus:
Inter Germanas longè pulcerrima nymphas:
Principe digna viro: principe digna Patre.
Fuluus hic eſt Vrſus: gladio præſignis acuto:
Finnonici ſignum nobile nempe Ducis:
Cui par eſt Sophiæ laus, & par cura Deorum:
Ingenio virtus nec minor, atq; fides.
Felix nupta viro: felix & Principe tanto:
Parrhaſius maius quo nihil orbis habet.
At quorſum mihi pondus iners: & beſtia turpis,
Munere pro magno, cur datur Vrſus? ais.
Nempe manus lambit placidus, digitosq; ſuorum
Vrſus: & haud cuiquam dente, vel vngue nocet:
Si tamen eſt læſus nimium: ruit acer in hoſtem:
Pectus & ad luctam, grandeq; robur habet.
Sic placidus tuus eſt princeps, facilisq; bonusq;:
Dum licet, ad pœnas, ſuppliciumq; piger.
Quòd ſi vi ſit opus: non hunc impunè laceſſit,
Quamuis immanis viribus, hoſtis atrox:

Vrſus

Vrſus erit: belloq́ ferox, & cladibus aſper,
Proteget inuicta ſubdita regna manu:
Proteget & ſanctum veræ pietatis honorem:
Vltor Eliſæi ceu ſenis vrſus erat.
Scilicet eiuſdem eſt (quamuis pugnare videtur)
Sontibus eſſe malum, ſupplicibusq́ bonum.
Talis erat ſanctæ pietatis amator Olaus:
Talis Stenchillus, VValdemarusq́ potens.
Talis Chriſtophorus, Sueonum rex, Boius heros:
Talis Goſtauus: talis Ericus erat:
Hic auus: ille pater Sponſi: rex fortis vterq́:
Et pater, & patriæ miles vterq́ ſuæ.
At tu, de tanto tibi coniuge, Diua Virago,
Sic forma natos ad decus omne duces:
(Ceu format genitrix informes Vrſa catellos)
Per graue virtutis quò gradiantur iter:
Et laudis patriæ memores, & laudis auitæ:
Pace beent populos, diuitijsq́ ſuos.
Euentura precor: votum probat alma Dione:
Fortunantq́ ſacrum Gratia, Paxq́ torum.

XI.

Princeps bonus.

Ad D. Guilielmum, Principem Iuliacenſem, Cleuenſem, & Montenſem.

QVàm benè Iuliacæ decorant inſignia gentis
Splendida, bucephalus, & canis, atq; leo:
Quæris, cur? canis eſt princeps bonus, & gregis acer
Cuſtos, ore lupos qui fugat inde feros.
Idem ſit leo magnanimus: qui vincere ſemper
Nouerit; vt victis parcere ritè queat.
Sitq; operum patiens idem, toleransq; laborum:
Quando nihil fertur firmius eſſe boue.
Si fortis, clemens, vigil es Guilielme: quis apta
Te neget in clypeo ſigna referre tuo?

Quis

XII.

Quis dicere laudes?

Ad D. Ludouicum, Principem VVirtebergicum, & Teccium.

QVid ſignent aquilæ, & piſces, & cornua cerui:
Si roger, in clypeo, Dux Ludouice, tuo:
Expediam paucis. Iouis armiger indicat ales,
Signiferum imperij ſcilicet eſſe ducem.
Innocuum piſcis patriæ, facilemq́; parentem
Signat: vt innocuo piſcis in amne natat.
Sed ramoſa notant viuacis cornua cerui:
Quod viuax virtus ſit, pietasq́; tua.
Macte animo Ludouice: Dei tibi gratia præſtò eſt:
Qui robur vitæ ſit, columenq́; tuæ.

XIII.

ΑΡΕΤΗ ΤΕ, ΚΑΙ ΟΛΒΟΣ.

Ad D. Sigiſmundum à Landau, Lib.

Baronem Auſtrium, Cæſ. Conſil.

GEmmantes commetat auis Iunonia pennas;
Longa velut ceruus cornua, vere nouo.
Signat opes Pauo; virtutem, cornua cerui:
Felix, cui virtus ſplendida firmat opes.
Serpentes abigit cornu ſuffitus (vt aiunt)
Ceruini: lis, poſt fata, perennat atrox.
Nam dum viuit adhuc, educit naribus angues
Ceruus de latebris, continuoq́; necat.
Sic virtutis amans, odit cane peius, & angue,
Et ſcelus, & vitium, peſtiferumq́; malum.
Veridicis hominum perpurgans pectora dictis;
Aethereum recto tramite monſtrat iter.
Aut hoc, aut melius ſi quid natura recondit,
Quæ geris, arma Baro te Sigemunde docent.

Sves

XIV.

Spes publica.

Ad D. Marcum Fuggerum, Com. Kirchbergæ, & VVeiſſehornæ.

*P*Vblica liliolo ſpes ſignificatur amœno:
Liliolum clypeo ſic benè Marce geris.
Namq; pater patriæ es, quo ſe nunc iactat alumno
Vno: Conſilio magnus, & arte potens.
Iamq; replet triplicis tua laus confinia mundi:
Cornu quod triplex, Indaq; virgo notat.
Tu decus orbis eris: manibus date lilia plenis:
Dicite iam Muſæ: Tu decus orbis eris.
Viue diu, longumq; vale ſine fine beatus:
Vtq; facis, Muſis, Marce, benignus ades.

XV.

Victrix caſta Fides.

In arma gentilitia D. Ruperti à Stozingen, Cæſ. Conſiliarij.

DIALOGVS.

QVæ Dea? ſancta Fides, ſummo Ioue nata parente:
Lux animæ: vitæ ianua: mentis honos.
Cærula cur veſtis? cæli mihi gratia præſtò eſt:
Cælo dignus, habet qui ſine labe fidem.
Cur nudum pectus? ſimplex oratio veri:
Et ſimplex recti cultus, & arte carens.
Cur albæ maculæ? geniali pectora lacte,
Sithoniaq́ gero candidiora niue.
Cur alæ geminæ? Chriſto duce, & auſpice Chriſto,
Subuolat in cælum cum pietate Fides.
Crux quid fronte nitet? fidei crux eſt nota ſanctæ:
Crux Chriſti, requies mentibus vna pijs.
Quid vult iſta capis? calicem potare ſalutis
Fas eſt, qui fidei præmia ſancta cupit.
Præmia quæ? vitæ cæleſtis nempe coronam:
Clarior hæc auro, firmior ære micat.
Quàm benè (Dij) gerit hæc clypeo meus arma Rupertus:
Celſus auis, fama clarus, honore potens:
Clarus at inprimis ſancta pietate, fideq́:
Felicem, cælo quem beat vna fides.

Marte,

XVI.

Marte, vel arte.

Ad D. Lazarum Schuendium, Baronem, & Eq. Auratum.

QVod dux militiæ, patriæ quod, Lazare, vindex
Diceris, & palmis, Martis alumnus, ouas:
Auguror ex armis. ſunt hæc vexilla bis octo:
Romani cuſtos ales & imperij.
Per ſe laus hæc magna quidem: ſed maior habetur
Gloria, tot clarum laudibus eſſe togæ:
Eſſe pium, doctumq́; bonumq́;: quod æmulor in te
Lazare. nam pius, & doctus es, atq; bonus.
Sic dux armatæ quum ſis, pariterq́; togatæ
Militiæ; duplex ſcuta corona premit.

XVII.

Annis prudentia maior.

Ad D. Antonium Fuggerum, Com. Kirchbergæ, & VVeiſſehornæ.

QVàm benè fragrat odor longè ſuauiſſimus albi
Lilioli: nares quod, cerebrumq́ iuuat:
Tam benè fragrat odor Sophiæ, Suadæq́ diſertæ
Antoni; pectus quæ regit, osq́ tuum.
Addit opes virgo, pleno bona Copia cornu:
Buccinat æternum libera Fama decus.
O te felicem, præſenti numine diuûm:
Dij faciant, laus hæc ſit tua firma diu.
Proſpera ſors maneat pariter: nec marcida fiant
Lilia: quæ clypeo nunc geris arma tuo.

ΑΠΛΑ-

XIIX.

ΑΠΛΑΝΩΣ.

Ad D. Sebaſtianum Schertelinum, Purtebaci, & Biſsingæ Dominum, Eq. aur.

TRux fremit in clypeo viden' vt leo: dextera cuius
Præ ſe fert clauem, lilia læua manus.
Fallor? an hæc tua ſunt inſignia, magne Sebaſte:
Munere Cæſareo quæ ſine fraude geris.
Et benè: nam patriæ miles, victorq́; ſuperbus,
Fortia ne poſsint facta latere, caues.
Pectora quum tibi ſint animi pleniſsima magni:
Magnanimus decorat ſic benè ſcuta leo.
Mille quòd in turmas perrumptis victor, honore
Integer: hoc clauis, liliolumq́; docet.

XIX.

Pacis, & armorum vigil.

Ad Guilielmum â Rotenhan, Eq. Francum.

QVid notet in clypeo Gallus? quid ſtella? quid vnda
Labilis? vt dicam, me Guilielme rogas.
Vita fugax hominis, ceu labilis effluit vnda:
Quam qui fine bono claudere ritè cupit:
Plus vigilat ſemper, ſpectans cœleſtia tantùm:
Aſtraq; mente pius concipit, atq; deum.
Si tibi vigilat gallus, ſi ſtella coruſcat:
Quæ fugit inſtar aquæ, non tibi vita perit.

Funi-

XX.

Funiculus triplex.

Ad inſignia Coloniæ Agrippinæ, vrbis Imperialis.

QVæ tres oſtentat clypeo regina coronas
Tot vrbium Colonia:
Treſne poteſtates notat, &, quibus eminet ipſa,
Tres dignitates maximas?
Principis vna ſacri: magniq́ ſecunda ſenatus;
Academiaq́ tertia.
Felix vrbs, in qua ſimul Ars, Sapientia, Virtus
Ciues coronat ſplendidos.
Funiculus triplex haud rumpitur: inclyta ſemper
Vrbis corona quò triplex
Fulgeat, & totum radijs illuminet orbem:
Concordiæ nodus facit.

Triceps

XXI.

Triceps Mercurius.

Ad inſignia Spiræ, vrbis Nemetûm imperialis.

TRes portæ, totidem turres, tria lumina Spiræ
Vrbis, magiſtratusq́; triplices notant.
Præſulis eſt vnus ſacri: dein Conſulis alter:
Cameræq́; tertius ſupremi Iudicis.
Ille ſacerdotes ſocios habet: iſte peritos
Iuris: Senatores hic conſulit ſuos.
Curia ſic triplex eſt, & Reſpublica triplex:
Portas tribus cum turribus tres iactitans.

Firmus

XXII.

Firmus in infirmis Deus.

Ad inſignia Reipublicæ Lauinganæ.

DVm latrocinijs agros infeſtat, & vrbes
Magnus prædo; Gigas corpore, mente leo:
Solus cum ſolo, pugna congreſſus iniqua,
Sutor hic, & ciuis, pulcra Lauinga, tuus:
Victor abit: magna proſtrato mole giganti,
Effoßis oculis, amputat enſe caput.
Officij memor, & virtutis teſtis auitæ,
Hos vrbi clypeos Cæſar, & arma dedit.
Sic quondam Dauid Goliadum cæde furentem
Mißilibus ſaxis impetit, atq; necat.
Firmus in infirmis Deus eſt: videtn' aſper vt ore
A cane non magno ſæpe tenetur aper.
Sic Iouis armigerum ſcarabæus prouocat vltrò:
Conſilio ſuperans, viribus ipſe minor.

r *NICO-*

NICOLAI REVSNERI LEORINI SILESII, IC. ET P. C.

STEMMATVM, SIVE ARMORVM GENTILITIORVM LIBER SECVNDVS.

I.

Mentis oculus, prudentia.

Ad Nicolaum Redigerum Præſidem, & gubernatorem Reipub. Vratiſlauienſis ſupremum.

MEnte ſagax, oculisq́, & corpore pulcer, acutùm
Capreolus cernit, lætificatq́ domos.
Sic acie mentis præſtans, Redigere, lepore
Spontè iuuas patriam, conſilioq́ tuo:
Cuius honoratus dux es, præſesq́ togatus:
Soſpite quo ſimul hæc vrbs quoq́ ſoſpes erit.
Macte animo, rerum felix tutela, ſalusq́:
Cui par eſt Sophiæ fama, Deiq́ metus.
Sis felix, viuasq́ diu: clypeoq́ refulgens
Gaudia capreolus det tibi longa tuus.

ΟΥΣΙΑ,

II.

ΟΥΣΙΑ, ΚΑΙ ΝΟΥΣ.

Vincta eſt ſapientia lucro.

Ad Ludouicum Grempium à Freudenſtain, Iuriſconſ.

PHœbus, dux vatum: Phœbo ſacer ales habetur,
Mæonias celebrans carmine cygnus aquas.
Qui Phœbum, Phœbiq́; colit ſacra doctus, & artes:
Aurea fert illi munera cygnus ouans.
Sic, quem geſtat olor, Grempi, datur annulus, index
Artis, & ingenui pectoris arra tibi.
Nam ceu Muſarum purus, Phœbiq́; ſacerdos;
Sic Themidis ſimul es clarus in arte ſacræ.
Fortunate ſenex; opibusq́;, & honoribus aucte:
Si tibi cura mei, ſit tibi cura tui.

III.

Iuriſconſultus bonus.

Ad Joannem Fichardum Patr. & Iuriſconſultum Francofortenſem.

IVriſconſulti quæ laus? teres, atq; rotundus
Vt ſolida conſtet mente, fideq́; ſibi:
Cuiq; ſuum tribuens, det palmam, & præmia rectis:
Offenſus prauis: cenſor & ipſe ſui:
Iuſtus propoſitiq́; tenax: à tramite recto
Quem fauor haud moueat, visq́;, metusq́; procul.
Qualem te multis è millibus eſſe fatebor
Vnum, pars animæ magna, Ficharde, meæ.
Iuſtus, & in teipſo totus teres, atq; rotundus;
Perpetuò conſtas mente, fideq́; tibi.
Vir bonus, & ſapiens, homo fidus, certus amicus:
Et probus, & vera relligione pius.
Iamq́; adeò tua fama volat plaudentibus alis:
Atq; premit radijs ſidera clara ſuis.
Arma probant, verum quod dico: triceps leo, duplex
Stella, globus ſimplex, atq; corona decens.

In eadem

Jn eadem D. Joannis Fichardi inſignia,

Philippus Lonicerus.

MAgnanimûm quicunq; vides generoſa Leonum
Ora, globum, ſtellas, aligeramq́; Deam,
Contemplare, quid hæc inſignia clara Fichardi,
(Munere Diui olim Cæſaris aucta) velint.



Multa quidem Fortuna poteſt, ſed ſydera fauſta
Accedant: comes & mens generoſa, ſiet.
Siq́; vir eſſe bonus ſtudeas, teres atq; rotundus,
Vt ſis: nam tales fulua corona decet.

IV.

Solamen vitæ Deus.

Ad Gualtherum Drechſelium Juriſc. & Cancell. Palatinum.

CErvus amicitiæ Chriſtus (Solomone canente)
Pullusq́ Gratiarum
Spiritus eſt Sanctus: ſolatia dulcia præbet
Afflictæ vterq́ menti.
Sic quoniam Chriſti ſemper, flatusq́ requiris
Solatium ſacrati:
Ac ceruus veluti gelidam deſiderat vndam:
Sic tu Deum, Deiq́
Poſcis anhelus opem ſanctam, veramq́ ſalutem:
Gualthere, dignus es, cui
Cornigeri decoret ſcutum ſub imagine cerui
Fides Deo probata.

Sol

V.

Sol iuſtitiæ, Chriſtus.

Ad Joannem Bonriederum Juriſcon.

SOl, Deus eſt: homo, Luna, micans de lumine Solis:
Sunt genij, ſtellæ: numina magna poli.
Luna quid eſt? cælum terreſtra, aut cælica terra:
Sic homo pars cæli, pars quota ſertur humi.
Si faciem ſpectes; varium, ac mutabile Luna:
Sic conſtans hominis non ſolet eſſe vigor.
Lucis amans eſt Luna: homo cognitionis amator;
Quæ lux humanis mentibus eſſe ſolet.
Et modò iuncta ſuo, modò Luna à Sole remota eſt:
Lumen homo veri ſic habet, inde caret.
Quà Phæbum cernit, Phæbe quoq; cernitur ipſa:
Quà retrò videt, hac menſtrua parte latet:
Sic homo iuſtitiæ Solem quum ſpectat: ab illo
Lumen habet: retrò ſi videt, hercle perit.
Ergo ne pereat, genios vtrinq; potentes,
Ceu ſtipatores gaudet adeſſe ſibi:
Nocte velut nigra ſtellas vtrinq; micantes
Lucis habet comites candida Luna ſuæ.
Fallor? an hoc te Luna monet tua, Iane: cooptans
Aduerſa ſtellas parte nitere duas.

Animæ

VI.

Animæ vita, optima.

Ad Alexandrum Hunlinum Iuriſc. & Conſil. Palatinum.

QVod gallum nutris, quod & hunc in caßide paßim
Pingis, Alexander: maxima cauſa ſubeſt.
Pars animi diuina notatur in alite gallo:
Quam paſci fas eſt nectare, & ambroſia.
Cognitio ſunt illa Dei, rerumq́; ſacrarum:
Sola datur menti quæ medicina piæ.
Sic olim Samius gallum nutrire monebat
Pythagoras: adiJt qui quoq; mente deos.
Sic Anyti reus ille, Deo moriturus eundem
Sacrabat: poſito corpore, mente valens.

Armat

VII.

Armat ad omnia virtus.

Ad Joan. Henricum HainZelium,

Patr. Auguſtanum.

QVem clypeo gladium oſtentas, Henrice, rubentem:
Auguror, hic animi vim notat herclè tui.
Ipſa quidem virtus vis eſt ſibi maxima ſola:
Plus valet hæc gladio; plus valet enſe fero.
Perpetuò ſibi conſtat, & ARMAT AD OMNIA VIR-
Qui vibrat hunc gladium ſic benè, victor abit. (TVS:
Talem victorem, talem te pancraſiaſten
Laudo: quem virtus armat ad omne malum.
Macte animi virtute noua, Patris æmule magni
HainZeli: benè ſic, pancraticeq́ vale.

De iiſdem inſignibus.

P. MELISSVS.

ARMA *tuæ gentis gladius: ſed dextera robur*
AD*dit: & hunc animi dexteritate geris.*
OMNIA *ſic ſuperas, Henrice: nec occubat vnquàm*
VIRTVS. *ô pugilis nobile pancratium.*

ſ *Iudex*

IIX.

Iudex ΑΔΩΡΟΔΟΚΗΤΟΣ.

Ad Hauboldum Flottacherum, Coſ. Ratiſponenſem.

IVdicis eſt virtus, manibus benè viuere puris:
Sic & auaritiæ ponere frena ſuæ:
Nec precio, precibúſue, nec vlli cedere dono:
Sincerum ſemper pectore, mente grauem.
Sic manibus truncis ſtatuas pinxêre regentûm
Thebani: malè quòd iudicis arca patet.
Nec benè corruptus iudex examinat æquum:
Nec benè iuſtitiæ ſeruit auara manus.
Sic tu iuſtitiæ præſes, princepsq́ Senatus,
Deligis officio congrua ſigna tuo.
Cana viri facies, prudentem: brachia trunca
Te iuſtum monſtrant ſcilicet eſſe virum.
At roſa communem plebis, patrumq́ fauorem,
Atq́ poteſtatis ſigna corona notat.

Studijs

IX.

Studijs certamina creſcunt.

Ad Ioannem Reymannum Iuriſcon. & Cancell. Epiſc. Vratiſlauienſis.

FEſſus anhelando calidos ſuſpirat ob æſtus,
Hinnulus irriguas, dum ſitis vrget, aquas.
Et ſyluæ, paritérq́ domus decus hinnulus ingens:
Cornicis ſuperans ſecula longa quater.
O quoties video te ſuſpirare, labores
Ob magnos: florens quos parit aula tibi.
Multa quidem princeps, nil non tibi patria debet:
Officij ne ſit gratia ſurda tui.
In te cura omnis quando inclinata recumbit:
Vt nequeat numerus caſibus eſſe tuis.
Solamen feſſo tibi ſit, curæq́ leuamen
Ipſe Deus: ſis vt ſaluus in orbe diu:
Et florens opibus iuſtis, & honoribus auctus,
Capreoli viuas ſecula longa tui.

X.

Virtutis fortuna comes.

Ad Danielem Princium, Conſil. Cæſaris.

DIALOGVS.

QVid tibi cum Moſco, cum telo duplice, Princi,
Cum trabe; qua triplex aurea ſtella micat?
Moſcica legatum dum bis me viſere regna
Cæſar, & immenſas mandat obire vias:
Me iaculum, iaculoq́; animus præſtantior omni
Dijs æquis, reducem per mala mille facit.
Factorum teſtis quintuplex penna meorum:
Quæq́; ſuper galea fixa corona nitet.
Stella triplex; clarum famæ decus, aurea: rectum
Præradians cælo gloria ſignat iter.

AD EVNDEM.

Illuſtrem virtute notat te ſtellula triplex,
Princi: ſed fortem mente, ſagitta duplex.

In labo-

XI.

In labore fructus.

Ad Joannem Sambucum, Cæſaris Hiſtoricum.

GRus aurum geminus roſtro, ſimul vngue lapillum
Suſtinet. hem quid vult hoc ſibi, Phœbe mone.
Grus vigil eſt: comites vigiles amat impiger idem:
Muſarum comites ſic vigilare decet:
Quos veluti ligat vna fides: ſic debita merces
Pro ſtudijs, & laus debita cuiq; venit.
Suaue rubent, redolentq; roſæ; ſed ſuauior artis,
Ingenij, fidei germine fragrat odor.
Quàm benè Sambucus gerit hæc inſignia vates:
Quem labor, & parilis ſplendor vbiq; beat.

De ijſdem.

HADR. IVNIVS.

Cor pedibus iunctis, roſtris concordibus aurum
Naupliadæ prendunt, munera ſancta, grues.
Gloria debetur ſtudijs, atq; aſſecla merces.
Concordesq; animos candor vbiq; decet.

XII.

In Deo lætitia.

Ad Paulum Fabricium Medicum, Caſ. Mathematicum.

QVid iactas aquilam clypeo, plaudentibus alis
Cum puero, Fabrici, quæ ſuper aſtra volat?
Conſilium, mentemq́; Dei ſic ſuauior alti:
Suauius in terris vt nihil eſſe putem.
Quod puer hic nudus notat, & Iouis ales aduncus:
Læta Deo, mens eſt alite rapta Deo.

Viui-

XIII.

Viuit ingenio.

Ad Hieronimum VVolſium V. C.

FRaus in te quum nulla ſit, aut vis improba, VVolſi;
Quæro, tibi ſæuus cur dedit arma lupus?
Fallor? an obſcura lupus vt videt omnia nocte:
Et ſuperat viſu cætera bruta ſuo:
Sic acie mentis penetrans terramq́; polumq́;
Omnigena doctos vincis in arte viros.
Quid? quod Apollo, Lupæ Latonæ filius, olim
Sacrauit Delphis hæc ſimulacra ſuis?
Et te Phœbus amat, vatum Deus: & tua pridem
Aeternæ famæ nomina magna ſacrat.

MHΔEN

XIV.

ΜΗΔΕΝ ΑΝΑΒΑΛΛΟΜΕΝΟΣ.

Ad Joannem Poſthium M. & P.L.

CVnctator cauet eſſe piger, qui vult ſine damno
Immenſas ſubitò peruolitare vias.
Qui cupit optatam ſtudijs contingere metam:
Cunctator caueat non ſecùs eſſe piger.
Præſertim Phœbi iuga qui vult ſcandere celſa:
Pegaſeo properet, ſi licet, vſus equo.
Cunctantes Mars odit, Apolloq́ꝫ: magna gerendi
Præcipita tempus; magnus vt eſſe queas.
Nam mora damnoſa eſt: totis incumbere membris,
Et decet admiſſo ſubdere calcar equo.
Sic, NIL DISTVLERIS, *inquit tuus ecce veredus,*
Poſthi; Pieria qui petit aſtra via.
Iamq́ꝫ tibi Phœbus, cum Muſis, obuius vltrò
Pocula Caſtalia plena miniſtrat aqua.
Et tua iam cingit Parnaſide tempora lauro:
Et metæ ſignum buccina læta canit.

ALIVD.

Pegaſeo, Poſthi, ſuperas Helicona volatu:
Quem geris in clypeo, quod docet acer eques.

Dignum

XV.

Dignum laude virum Muſa vetat mori.

Ad Paulum Meliſſum Schedium, P. L.

QVòd tibi ſint Cygnea mele, Muſæaq́; mella:
Lilia cum cygno ſigna, Meliſſe, geris.

Aliud.

Λειριόεν σὺ Μέλισσε χέων μέλος, ᾆσμα κυκνεῖον:
Λείρια σὺν κύκνῳ νῦν ἐπίσημα φέρεις.

Prudens

XVI.

Prudens facundia.

Ad Nicodemum Friſchlinum P. L.

MErcurij gemino implicitus caduceus angue,
Stemmata Friſchlino dat ſatis apta meo.
Symbolon eloquij, caduceus: anguis vtrinq;
Serpens, ingenij ſit, Sophiæq́; nota.
Scilicet eloquio ſapientia iuncta potenti,
Cuncta regit: cœlum quæ tenet, atq; ſolum.
Præualet hæc opibus regum, clarisq́; triumphis:
Et ſi quid magnus carius orbis habet.
Sic quoniam prudens in eo facundia regnat:
Stemmata Friſchlinus fert ſatis apta meus.

Iuſtus

XVII.

Iuſtus confidens leo.

EX PROVERB. CAP. XXVIII.

Ad Joannem Lauterbachium P.L.

QVàm diſpar aquila columba; quamq́;
Dorcas eſt rigido fugax leoni:
Tam iuſto quoq; diſsidet, pioq́;
Iniuſtus vir, & impius: pauere
Aſſuetus folij ſono cadentis.
Quando ſpem retinet, fidemq́; firmam
Iuſtus, magnanimi leonis inſtar:
Seu fortuna maligna, ſeu benigna eſt.
Sic ex vngue leo tuus vel vno
Fortis noſcitur: acre robur illud
Magni pectoris indicans apertè:
Quo notum decet eſſe Chriſtianum.

XIIX.

Ipſe faciet.

EX PSAL. XXXVII.

Ad Jacobum Monauium, Patr. Vratiſlauienſem.

QVàm benè te, vitamq́; tuam, ſortemq́; Iehouæ
Committis magno ſolius arbitrio.
Ipſe facit, faciatq́; precor, IACOBE: beatus
Semper vt ex voto, quod geris, omne geras.
Facta tibi confecta puta, quæ mente cupiſti:
Si cæleſtis adeſt gratia præſtò, ſat eſt.
Scilicet hoc te ſigna monent: tria cornua Lunæ:
Quæ Phœbi ſplendent irradiata comis.
Sol eſt iuſtitiæ Deus vnus in orbe: perennis
Splendorem lucis qui capit, inde capit.

AD EVNDEM.

P. MELISSVS.

Vmbra mare eſt, tenebræ tellus, eſt nigror Olympus:
Sidere ni quodam reddita clara nitent.
Nulla ſed in terra fas quærere, nulla profundo
Lumina: de Phœbi lux micat illa comis.
Vna Diana ſuos de nocte reciproca lucens
Fert radiosq́; ſolo, fert radiosq́; ſalo.

Tres igitur quorſus? pelagi notat altera noctem:
Altera telluris: tertia Luna poli.
Mentibus arrectis triplici è caligine mundi
Ad Solem tendas, cornua trina monent.
Christus erit Sol verus: vbi Sol iste, Monaui,
Fulſerit: eclipſis nulla timenda venit.

XIX.

Virtutes præmijs decorantur.

Ad Adolphum Occonem, Reip. Auguſtanæ Med. III.

STelliferum mea gens clypeo fulgente leonem;
Stirps aquilam paſſam geſtat, Adolphe, tua.
Quadrupedum leo rex, aquila eſt regina volucrum:
Ille ſacer Soli fertur, at iſta Ioui.
Ingenium notat hæc, pectus cæleſte ſed ille:
Grande viri decus, & munus vtrumq; Dei eſt.
Sic ad virtutem, ſic itur ad aſtra: leonem
Si mihi, ſiq; aquilam ſit tibi cura ſequi.
Pectus vt ingenio, ſimul vt par fiat vtriq;
Virtus: nec careant viribus illa ſuis.
Sic animos aquila in cælum ſecum ardua raptans;
Cætibus hos infert, concilijsq; deum.

XX.

Virtus eſt, vitium fugere.

Ad Cunradum Albinum, Patr. Francofortenſem.

Candor dulcis, odor ſuauis, vis grata roſarum,
Quæ fulgent clypeo verſicolore, trium.
Candorem mentis, mel linguæ, gentis amorem,
VVeiſsi, quæ Charitum dat trias alma, notant.
Ergo domas claua vitium priùs Herculis omne:
Monſtret vt ad cælum mox Iouis ales iter.

AD EVNDEM.

P. MELISSVS.

Stirps tua tres, Albine, roſas, mea gens tria geſtat
Lilia: vos aquilam fertis, at ipſe cygnum.
Rex olor inter aues, aquila eſt regina: roſisq́,
Liliolisq́ nihil pulcrius extat humo.
Ales veſtra Ioui, Phœbo ſacer eſt meus ales:
Et Cytherea roſas, lilia Chloris amat.
Ergo tibi dum ſuauè roſæ, mihi lilia florent:
Et Phœbo par eſt, & Ioue digna cani.
Sic vtriusq́ animus volucres imitante volatu
Raptus ab humano tendat in aſtra ſolo.

Anima

XXI.

Anima moriemur in vna.

Ad Joachimum Camerarium V. Cl.

SAncta fides eſt cornicum, concordia ſancta:
Quîs natura dedit viuere ſecla nouem.
Si moritur coniux, viduam trahit altera vitam,
Ceu turtur; ſociæ fata gemendo ſuæ.
O fidei exemplum raræ. ſic nempe maritæ
Fata gemis viduus nunc, Ioachime, tuæ:
Quam tibi ſancta fides, concordia ſancta tot annis
Iunxerat, & ſancto fœdere caſtus hymen.
O te ſecla trium cornicum viuere fas ſit:
Stemmata quæ priſcæ nobilitatis habes.

XXII.

ΟΙΣΤΕΟΝ, ΚΑΙ ΕΛΠΙΣΤΕΟΝ.

Ad Martinum Rulandum Medicum.

PReſsit adhuc infans geminos Tirynthius angues;
Præluſit hydræ quo feræ
Magnanimus domitor, Ioue dignus, amabilis heros.
Sic Chriſtus alter Hercules
Ille ſalutaris, veteris fera contudit hydræ
Victore colla ſub pede:
Quam gemina preſſare manu, quam vincere fas eſt
Chriſti ſequentes hîc ducis
Signa ſui: quibus emeritis, cæloq́; receptis
Laurus triumphalis datur.
O quàm magna docet clypei tam parua figura,
Rulande, quem geſtas, tui.

Domat

XXIII.

Domat omnia virtus.

Ad Andream Reuſſium I C. Reipub. Vratiſlau. à Secretis.

QVod Ruſſi tibi forma placet crudelis in armis;
Claua dextra nitet cuius, & enſe latus:
An, præter nomen, REVSSI, vis omen ineſſe;
Crudelis dextra ſis vt, & enſe ferus?
Erro equidem. nam te nihil eſt humanius ipſo:
Barbaries morum nec tibi fœda placet.
Mite tibi dedit ingenium natura creatrix:
Mollit & ars mores, nec ſinit eſſe feros.
Sarmata cur igitur gladio, clauaq́; minatur
Barbarus? arma tibi contulit illa Themis.
Eloquij gladius, virtutis claua putatur
Symbolon: ingenium poſſidet illa tuum.

NICOLAI REVSNERI LEORINI SILESII, IC. ET P. C.

STEMMATVM, SIVE ARMORVM GENTILITIORVM LIBER TERTIVS.

I.

Viue diu, ſed viue Deo.

Ad Stephanum Endorferum, Patr. Auguſtanum.

QVem pingis clypeo, Capricornus porta deorum eſt:
Si verum memorat melleus ille Plato.
Per quam corporeis mens vinclis libera, ſurſum
Euolat; & cæli templa beata petit.
Felices animæ, quibus huc contingit adire:
Qua diuûm coràm corpora vera vident.
Non Venus aut luxus, non has damnoſa voluptas,
Nec leuis ambitio flexit, opúmue ſitis.
Sed pietas, virtusq́; Deo ſic viuere iuſſit:
Quò liceat cælo viuere teſte diu.
Illa deûm ſedes: hæc illis proxima; mente
Qui viuunt ſimiles, ingenioq́; deûm.

II.

Fax gloria mentis honeſtæ.

Ad Joannem Chriſtophorum Lucium, Conſil. VVirtebergicum.

GRatia magna roſæ, mens eſt generſa leoni:
Imperat hæc brutis; floribus illa ſuis.
Sic virtute tua, Luci, ſic mentis honore
Par es tot ſummis, quos fouet aula, viris.
Nam mens vt generoſa tibi; ſic gratia morum,
Et linguæ, laudem conciliare poteſt.
Sic decorat meritò clypeum leo fortis, & ala
Cum duplici duplex, quæ ſubit aſtra, roſa.
Sit tibi perpetuò viuax leo: viuida, Luci
Sit roſa: dum cælo te quoq; fama beet.

III.

Immortalis labore parta gloria.

Ad Melchiorem Jægerum Conſil. Secret. VVirteberg.

VEnatrix laudis, virtus: venator honoris
Eſt labor: ad cœlum monſtrat vterq; viam.
Sic laudem virtute, labore mereris honorem
Melchior, ô gentis fama, decuſq; tuæ.
Scilicet hoc laudis cornu docet, atq; laboris
Symbolon: in ſcuto quod tibi ſigna dedit.
Hinc te dux Ludouicus amat VVirtbergicus heros:
Qui tibi dat mentis noſſe ſecreta ſuæ.
Conſilio patriæ venator adeſſe paratus;
Aeterna meritò præmia laudis habet.

Miran-

IV.

Mirandum naturæ opus.

Ad Michaelem VVeihemaierum Iuriſconſultum.

QVi mandit fœdum tabo ſtillante cadauer,
Vultur edax, genti cur dedit arma tuæ?
An quòd ſit volucrum iuſtiſsima? parcere viuis,
Nec fructus, nec aues lædere ſueta vagas.
An quòd præſagit, ſapiens, ac prouidus ales?
Vnde Hieroglyphicon Palladis eſſe ſolet.
An quòd confectum ſenio, morboq́ parentem
Vultur alit Libycus, caluitioq́ glabrum?
An quòd amat tantum natos; vt ſanguine paſcat:
Ipſe ſuum quando vellicat ore femur?
An quòd centenis vt vultur victitat annis.
Sic vitæ maneat vos quoq; longa dies?
An potiùs, vento ceu vultur concipit: Alma
Fœta Deum flatu, ſic parit, abſq; mare?
Quicquid id eſt, ſat magna quidem myſteria vultur
Naturæ, morum, relligionis habet.

V.

Fons inuocantis.

Ad Abrahamum Mannam, Antiſtitem Lauinganum.

CErnis, vt ora manu Simſon premit ampla leonis
In clypeo: natum mel leuat vnde famem.
Magnanimus galea victor ſedet: vnus aſellæ
Qui mala cedit mille repentè viros.
Fiſſus & huic malæ fontanam præbet aquam dens:
Pellitur vnde ſitis, mens redit vndè viro.
Fallor? an eſt Simſon Chriſti victoris imago:
Iuſtitiæ Solem quem pia turba colit.
Maxilla vatum dux Chriſtus, & ore triumphat
Sacrorum: purè qui ſacra verba docent.
Fons oritur ſacer hinc, Eccleſia ſancta: piorum
Mentibus hinc ægris gratia larga fluit.
Qui bibit ex aſinæ mala, bibit ille ſalutem:
Et mel de forti dulce leone legit.
Quàm benè, Manna, tibi data ſunt hæc ſymbola. namq;
Mel ſimul, & vitæ gutture fundis aquam.

Chriſtus

VI.

Chriſtus lætitia mea.

Ad Cunradum Lætum Iuriſc. & Conſil. Palat.

QVid ſic lætus ouat? quid dextra plaudit? & ore
Iubilat in clypeo lauriger ille puer?
Lætitia eſt mea Chriſtus (ais) meus ille redemptor.
Ille meus rex eſt, & Deus ille meus.

Fons

VII.

Fons ſalutis Chriſtus.

Ad Philippum Hailbrunnerum S. Theol. D.

QVi tibi nomen, & arma dedit de fonte ſalutis:
Ex re nónne tibi nomen, & arma dedit?
Fons vitæ, Chriſtus: Chriſtus ſpes vna ſalutis:
Quem ſcriptis, & quem voce, Philippe, doces.
O fluat hoc nobis aqua vitæ fonte perennis:
Ampliùs haud vret guttur anhela ſitis.

IIX.

Sic petitur cœlum.

Ad Laurentium Drechslerum, Conc. Palatinum.

BIna tribus diſtincta roſis laquearia, & ala,
Picta ſuper galeam, quid duplicata notat?
Vita, roſa eſt fragilis: Sathanas laqueare, Caroq́;
Duplex: in cœlum nos vehit ala Fides.

x *Solus*

IX.

Solus ſapiens diues.

Ad Chilianum Piſcatorem Theologum.

VIta quid eſt hominis? magnum niſi cymba per æquor:
Fluctibus hinc crebris inde repulſa maris.
Impetit hanc Eurus, Boreas, Notus vndiq; ſæuus:
Trux & ad hanc Syrtis, Scylla, Charybdis hiat.
Sunt hæc, fraus carnis, mundiq; Tyrannis & orci.
Flebile naufragium quæ tibi ſæpe cient.
Felix, arrecta cœlum qui mente tuetur;
Fluctibus è tantis, turbinibusq; maris.
Namq; metu rapidæ liber, Chiliane, procellæ;
In portu, Chriſto nauigat ille duce.

De ijſdem ſuis inſignibus.

CHILIANVS PISCATOR.

Fortis, & inuictus mundi perrumpo tenebras:
Nec tenuem ſortis ſpem, generisq; moror.
In Chriſto ſolidam cordatus pono ſalutem:
Solus hic eſt vitæ portus, & aura meæ.
Felix, qui Chriſto didicit ſe credere ſoli:
Huic, melior lauro, dia corona datur.

X.

ΧΕΙΡ ΣΥΝ ΑΘΗΝΑ.

Ad Henricum Porſchium V. Cl.

DIc, Hoſpes; nouus Iſmariis quis cantor in oris,
Orpheiam docta ſuſcitat arte lyram?
Porſius, Aonidum cultor, doctæq; Mineruæ:
Quem munit Pallas ægide, Phœbus equo.
Gaudet Hebrus, tanto lætatur vate Cayſter:
Amnis adhuc memor eſt cladis vterq; ſuæ.
Iſmariæ ceſſate nurus vim ferre canenti:
Acer adeſt vatis Pegaſus vltor equus:
Vltrix & Gorgo, quæ vos in ſaxa repentè
Mutet. nam gerit hæc Porſius arma meus.

XI.

A teneris aſſueſcere multum.

Ad Andream Lopadium, virum optimum.

QVo ſemel eſt imbuta, recens ſeruabit odorem
Teſta diu: vetus vt
Verbum habet. hoc verum tam re, quàm nomine reddis,
Ingenioq́ tuo.
Quod quum ſit primo imbutum ſolerter ab auo
Artibus ingenuis:
Spirat adhuc ſuaues priſcæ virtutis odores:
Ingenuumq́ decus,
Et vires ſolidas habet; haud obſtante ſenecta.
Quid? quod & arte bona
Tot iuuenum mentes, ceu teſtas, imbuis: vnde
Par modò fragrat odor
Ingenij, fidei, doctrinæ. Macte Lopadi
Care, verende ſenex:
Macte animi, quem rarus habet: tibi ſpiret amomum
Tam pia teſta diu,
Quam geris in clypeo: nec vi, nec caſibus vllis
Fracta fatiſcat humi.

Ora, &

XII.

Ora, & labora.

Ad Carolum Heibergerum, Eq. Auſtriacum.

MOntes aërij duo, ſepibus vndiq; cincti:
Et leo, qui pennas vngue pauonis habet:
Carole, quid moneant, rogitas? contingere metam
Optatam ſtudijs qui cupit, atq; decus:
Multa feret, facietq́; puer: Superisq́; vocatis,
Promptus erit validas ſpontè mouere manus.
Vt famam ſtudijs, & honores nempe reportet:
Inuictum debet pectus habere malis.

XIII.

Spes bona dat vires.

Ad Danielem Auſtriacum Auguſtanum.

DVm viuis, ſperare licet: ſperare ſed æqua,
Ac bona: quæ ratio poſcere nulla vetet.
Sic ſortis ſpes æqua bonæ, ſpes æqua ſalutis:
Magnaq́ ſic ſpes eſt in bonitate Dei.
Sic mihi certa tuæ ſpes indolis vſq; relicta eſt:
Moribus vt redeas cultus, & arte domum.
Quò meliùs ſperem, faciunt tua lilia: certam
Quæ ſpem virtutis ſignificare ſolent.
Sed magis hoc ſperare iubet tua nota voluntas:
Quæ venit ex merito, ſpes ſatis æqua venit.

Hic ra-

XIV.

Hîc ratio tentandi aditus.

EX ESA. CAP. XXII.

Ad Jacobum Cellarium Auguſtanum.

QVæ ratio tentandi aditus ſit ad æthera celſum:
Clauiger hoc monſtrat nempe, Iacobe, leo.
Si neſcis, de ſtirpe ſatus LEO Chriſtus Iudæ;
Verus homo, cœli eſt ianitor, atq; Deus.
Fert humero clauem: reſerat, nec claudere quiſquam:
Et claudit, quiſquam nec reſerare poteſt.
Felices nimium, quibus arx patet ardua cœli.
Quam reſerat Chriſti crux oneroſa nimis.
Crux Chriſti, clauis cœli eſt, & ianua vitæ:
Quem qui mente colit ſimplice, ſaluus erit.

Memen-

XV.

Memento mori.

Ad Georgium Kirchmaierum Monhæmium.

QVid tibi cum telo, Veneris flos, eſt Roſa, Martis?
Nempe homines doceo docta: Memento mori.
Cur? roſa, vita breuis. mors, inſuperabile telum eſt:
Mars mortem, vitam procreat alma Venus.
Quid tum? flaccidius roſa, & ocyus haud ſcio quicquam
Telo: mors venit, & vita repentè fugit.
Poſt mortem nihil ergo manet? laus, gloria, virtus.
Nam manet & virtus ſemper, odosq́; roſæ.

XVI.

Lux mea Deus.

Ad Balthaſarem Imbricium Secret. Bipontinum.

STella triplex micat imbricibus ſuper aurea quinq́;:
Et geminis alis fertur ad aſtra leuis.
Lux animæ, mentisq́;, animiq́;, & cordis, & oris
Sit Deus: in trino numine numen idem.
Seruiat huic anima, os, animus, cor, mensq́; fidelis:
Aetherea quæ vult luce beata frui.
Signa docent hoc Imbricij gentilia: ſacrat
Quando cor, os, animum, mentem, animamq́; Deo.

XVII.

E plumbo fabricat aurum.

Ad Joannem Fabrum Burchamium.

QVid fabricas? animos puerorum. quorſus? vt artes
Ediſcant ſancta cum pietate bonas.
An fabricas ſemper, quod vis? non. Mercuriumq́;
E ligno quouis haud fabricare queo.
Præmia quæ fers inde? maligni præmia mundi:
Gaudeo me fruſtra non fabricare tamen.
Ruſticus vt gaudet, ferrata calce reperta:
Sic mihi diſcipuli mens placet vna boni.
Quid calx in clypeo ſibi vult ferrata? magiſtrum
Ferrea mens, & vox ferrea nempe decet.
Quid magis? accipio ferrum, reddo ocyus aurum:
Emollit mores dum mea cura feros.
Ala quid? in cœlum vehit inclyta fama magiſtros;
Qui ſtudijs animos excoluêre rudes.

Ars

XIIX.

Ars emollit mores.

Ad Martinum, Martini F. Rulandum.

QVid ſua victrici præcingit tempora lauro
Syluestris tuus hic, anguiger, aſper homo?
Fallor? an humanæ ceu magna ferocia mentis,
Fœdaq́; barbaries primitùs eſſe ſolet:
Si tamen ingenuis exculta ſit artibus: omnis
Iam morum feritas, aſperitasq́; fugit:
Sic qui laureolam quærit, Martine, perennem:
Serus vt hinc carpat florea ſerta nepos:
Arte priùs docta, cuius tibi cura ſit vna,
Emollit mores, nec ſinit eſſe feros?

XIX.

Labore, & conſtantia.

Ad Chriſtophorum Plantinum.

QVid ſibi vult manus, è cœli quæ nubibus exit,
Et calamum fixum ductitat inde ſolo?
Quid, Plantine, rogas? Labor, & conſtantia, res ſic
Perficit, inceptas auſpice ritè Deo.
Sic tuus eſt felix labor, & conſtantia: quando
Tot lepidis auges ſecula noſtra libris.
Et tua ſentit opem cœleſtis dextera dextræ:
Et tua iam triplici fama ſub orbe volat.
Primum opus in ſtudijs pietas ſit ſancta deorum:
Quod reſtat, conſtans perficit omne labor.

XX.

Animo dat gloria vires.

Ad Sigiſmundum Feyerabendium.

QVod famæ inuigilare iuuat, laudiq́ perenni:
Dum libros æuo tot, Sigemunde, ſacras:



Laudo equidem: laudem labor hic, fructumq́ reportat,
Quem ſumis, magno fœnore nempe tibi.
Et pleno iam Fama ſimul Dea buccinat ore,
Quam pingis, triplici nomen in orbe tuum.

Applaudunt læto Muſæ, Phœbusq́ fauore:
Et ſtudium famæ creſcit honore tibi.
Macte animo, Sigemunde: volat tua fama per aſtra:
Cui ſpondet laurus ſacra perenne decus.

AD EVNDEM.
PHILIP. LONICERVS.

Quæ Dea? Fama. caput victrix cur laurea cingit?
Hoc illi tribuit lætus Apollo decus.
Cur alacris latè volitantes explicat alas?
Virtutis ſtudio ſe ſuper aſtra leuat.
Pieria cur læta tuba clangente per orbem,
Excitat Eoas, Heſperiasq́ domos?
Grata ſuos celebrat viuaci laude miniſtros:
Hos canit ætherijs buccina clara ſonis.

XXI.

Monſtrat iter cœlo pietas.

Ad Chriſtophorum Reuſnerum Iuriſconſultum.



MOnte ſuper triplici ſtans rex, Leo, magne ferarum:
Quid fremis, & ſtellam cur geris vngue fero?
Mons triplex triplices hominis denunciat hoſtes:
Nam Caro, cum Mundo te, Sathanasq́ premit.
Fortiter vt vincas, & ab his cum laude triumphes:
Mente leonina te ſupereſſe decet:
Immemoremq́; tui, cælum ſpectare, Deumq́;:
Et magno curas ſpernere corde leues.

Sic

Sic pietas cælo inſcribet tua nomina: quo ceu
Fulgida conſpicuo ſtella decore mices.

Ad eadem inſignia.

GEORGIVS FROBENIVS. IC.

Tres colles ruber in clypeo leo poßidet albo:
Trabs fulget duplex aurea, nigra triplex.
Stella manum decorat dextram natiua leonis:
Et galeam patulam fulua corona tegit.
Quàm benè Reuſneros his nobilitauit in armis
Cæſar: quos virtus, arsq́, fidesq́ probat.

ADAMVS CLOSIVS SILESIVS.

Gloria virtuti ſe offert, ceu debita merces:
Magnanimus ſtellam ſic leo iurè tenet.

Vita

XXII.

Vita ſine literis mors.

Ad Paulum Meliſſum.

De ſuis inſignibus.

QV*aris, Paule, mihi cur det gentilia fuluus*
Arma leo, vates quum magis ornet olor?
An neſcis, catulis vitam dare voce leonem
Horrifica; mortis quos ſopor altus habet.
Vita quid eſt, niſi mors, ſine Muſis? quam pueris dat
Vox mea: per ſacra dum nempe Lycea rugit.
Præſtat opem, roburq́ mihi Leo fortis Iudæ:
Nam DOMINVS VIRTVS, LAVSq́, SALVSq́ MEA *eſt.*

AD NICOLAVM REVS-NERVM, P. MELISSVS.

QVi leo per clypeum, galeaq́ꝫ ſuprema, iubato
Crine, feroq́ꝫ minax vngue videndus adeſt:
Ambiguum facit, ísne tuis animoſior, an tu
Auſibus illius ſtes Leorine ſuper.
Erro. nam patrij longè eſt tibi forma leonis
Inferior, celſos deuenerantis auos:
Ac monet, vt cœptis peragendis mente virili
Sis præſens: dubias neu vereare vices.
Cernis, vt ancipitem percellant flamina vulgum:
Sic trepidant pauidæ ſæpe timore feræ.
Egregiè cordatus homo vulgaria temnit:
Erectoq́ꝫ humilem deſpicit ore metum.

De ijſdem inſignibus.

IOANNES POSTHIVS MED. ET P. L.

FOrmidanda gerens animoſi ſigna leonis;
Reuſnerus ille nobilis
Vates, Hiſtoricusq́ꝫ bonus, Legumq́ꝫ peritus:
Feritatis haud micam vnicam
Poſſidet. aſt animi conſtantia rara per illum
Notatur, & robur viri:
Virtutesq́ꝫ aliæ generoſi pectoris: ipſi
Iam Cæſari notiſſimæ.

NICO-

NICODEMVS FRISCHLInus Poëta & Com. Pal. Caſ.

AN, quia Nicoleos poſitum tibi nomen, & omen,
Idcircò effigiem ſcuta leonis habent?
Sicut enim duris animalia cætera membris
Vincit, & ore minax, & ferus vngue leo:
Sic tuus hic animus, vitio ſublimior omni,
Multorum mentes vincit, & ora virûm.
Nam ſi nemo poteſt tibi ſe præponere vates;
Nec Rhetor, profitens iura, nec Hiſtoricus:
Verè es Nicoleos: populum qui robore vincis:
Ora nec immeritò ſcuta leonis habent.

PETRVS ALBINVS NIVEmontius, Poëſeos, & Hiſtoriæ Profeſſor, in Academia Vitebergenſi.

QVòd geris in clypeo fuluum, Reuſnere, leonem:
Parcit Olor, vatum qui decus eſſe ſolet.
Nam ſtat huic laudum quoq; gloria ſalua ſuarum:
Cygnus es, & cygni vox tua voce ſonat.
Sed leo quòd clypeum tibi fortis imagine pingit:
Egregijs meritis hoc datur elogium.
In pulcris quis te ſtudijs conſtantior alter?
Ceu leo magnanimo robore pectus habet.

Quis virtute tibi certet? quis fortibus auſis?
Dum vigil aßiduè docta Lycea colis.
Defendit catulos generoſi ut cura leonis:
Sic tu Pieridas diligis vſq; deas:
Protegis & teneros, qui te venerantur, alumnos:
Nec ſubeunt animo tædia longa tuo.
Sed quoq; nulla gerunt inter ſe bella leones:
Ceu tu concordes mente imitare feras:
Lætus & officÿs, pacis ſtudioſus & almæ,
Omnibus eſſe bono, nemini obeſſe cupis.
Fortè gerit plures ſub honeſto pectore dotes,
Quæ tibi conueniunt gentis ob arma, leo.
Quas tuus Albinus præſens in tempus omittit:
Tractandasq; alÿs vatibus inſinuat.
Macte animo Leorine Leo: tua gloria toto
Orbe rugit: rugiet ſed magis axe poli.

FINIS.

IVDI-

IVDICIVM HIERONYMI VVOLFII DE POETIS LEGENDIS.

EX COMMENTARIO TVSCVLANARVM QVAESTIONVM SVPER illa verba M. Tullij Ciceronis:

Poëtæ ita ſunt dulces, vt nō legantur modò, ſed etiam ediſcantur. Hanc eruditionem liberalem, & doctrinam putamus, &c. 2. Tuſc. quæſt.

PVerilis ætas quum neq; honeſtatem, neque vtilitatem intelligat: delectatione fabellarum, rerumq; mirabilium, quas poëtæ commenti ſunt, ad doctrinæ ſtudium excitatur: vnáque cum iſtis fabulis, & cōmentis, & eloquentiam diſcunt, & exempla vident virtutum, & vitiorum: & multis ſalutaribus præceptis inſtruuntur:

tur: ſi modò interpres fuerit eruditus: & ea ingenij dexteritate præditus: vt omnia trahere poſſit, & accommodare ad diſcentium vtilitatem. Poëſeos autem dulcedinem, quò quiſque ſcribendis verſibus exercitatior eſt, quoq; artis poëticæ, & oratoriæ peritior: eò magis experitur. Sed quum adoleſcentia ſit ad voluptates procliuior: mirum profectò eſt, tam paucos et iam ex ijs, qui liberaliũ artium magiſtri perhibentur, ordine perlegendis & Græcis, & Latinis poëtis delectari. Néque verò ita multi illi ſunt: vt non vel vno anno ab vtriúſque linguæ perito, & nõ nimiũ curioſo, quiq; nefas eſſe nõ putet, neſcire quędam, euolui, & percurri poſſint. Græci autem veteres ſunt, Orpheus, Muſæus, Homerus, Heſiodus, Phocylides, Philolaus, Theognis, Pindarus, Aeſchylus, Sophocles, Euripides, Ariſtophanes, Theocritus, Lycophron, Apollonius, Q. Calaber, & fragmenta quędam à Io. Camerario & Henrico Stephano collecta. Latini, Plautus, Terentius, Lucretius,

tius, Virgilius, Horatius, Catullus, Gallus ſiue Maximianus, Propertius, Tibullus, Ouidius, Lucanus, Statius, Martialis, Valerius Flaccus, Claudianus, Perſius, Iuuenalis, Fragmenta veterum poëtarũ. Sunt & Chriſtiani poëtę: quos vno volumine coniunxit Fabricius: quò & Homerocentra pertinent. Recentiorum autem ingens eſt numerus: quorũ aliqui vel cum veteribus poſſe comparari videantur: vt Politianus, Pontanus, Ianus Pannonius, Marullus, Vida, Cordus, Heſſus, Sabinus, Secundus, Stigelius, Micyllus, Lotichius, Buchanan⁹, Schoſſerus, Friſchlinus, Meliſſus, Reuſnerus, atque præ cæteris nominandus Scaliger ὁ πανεπιστήμων, alijq́; complures. Sed in hoc genete quiſq; rationem habeat ingenij, atque ocij ſui: & poëſin ἥδυσμα, non ἔδεσμα, πάρεργον grauiorũ ſtudiorũ, non ἔργον eſſe putet. Neq; enim in poëtis cõſeneſcendũ eſt: per ociũ ad eos redire licet: idq́; tempus inter ambulandũ, relegẽdis illis, impendere: ꝙ alij vino, alea, nugis, ludis inanibus perdunt.

De

De ijſdem.

PAVLI MANVTII IVDICIVM.

MAGNA laus eſt eorum, qui non ad vulgarem, humilemq́; artem, ſed ad nobilem aliquam, liberalemq́; doctrinam ſua ſtudia cõtulerunt: maxima verò, ſi quis eam Philoſophiæ partem, quæ Poëſis appellatur, ita eſt complexus: itaq́; hæret in ea cognoſcenda: vt auelli nulla prorſus ratione poſſit. Itáque veteres illos, quibus optimi, ac ſummi Dei vocem audire, eiuſq́; ſermone frui ſępe licuit: homines ſapientiſſimos, atque ſanctiſſimos; poëticæ facultatis admodum ſtudioſos fuiſſe conſtat: ſuaſq́; cogitationes non eo, quo quilibet vteretur, ſermone, ſed verſibus exponere voluiſſe. Quorũ exſtant nonnulla ſanè præclara: quæ quum legimus, afficimur; & quaſi diuina quadam vi abrepti, extollimur haud paulò altiùs; quàm qui rerum humanarum in ſtudio verſantur. Habet igitur

ars

ars poëtica dignitatem: quandoquidem in ea latent arcana Philoſopiæ: quæ profanis oculis non patent: ea rudès animos excolit: ea nos ab rerum humilium ſtudio deducit: ad egregios mores, ad veram religionem, ad excellentem magnarum rerum cupiditatem vocat. Habet eadem ſuauitatem: quia vocibus aptè conſtructa oratio miram infundit auribus, animisq; iucunditatem. Et, vt vno verbo comprehendam, poëſis numerus eſt: numerus porrò nihil aliud, quàm ordo: ordinis autem principium à Deo fluxit. Diuini igitur ſunt homines poëtæ: nec vllo non honorum genere decorandi. Poëtas autem definio, non quicunque verſus faciunt: qui moleſta, & odioſa garrulitate ſępe nobis obſtrepunt; ſed eos, quorum in vita non minùs, quàm in ſcriptis elucet ordo: à quibus colitur humanitas: & beneficentia non modò laudatur: verùm etiam pro facultatibus exercetur. Hæc enim ſunt illa myſteria ſacra: quæ poëſis, fabularum ſpecie, ita velat: vt ea tamen

vatum excellentium, hoc eſt, bonorum virorum, mentes intelligant. Quę verò his virtutibus aduerſantur vitia: hęc ſunt illa mõſtra, inimica naturæ: quæ poëticis figmẽtis oſtenduntur: ſus Erymanthius, leo Nemeæus, hydra Lernæa, gigantes, & Harpyiæ, quæq́; alia traduntur, perdendis hominibus, aut frugibus nata.

EIVSDEM.

QVOD ego de poëtica facultate ſentio: idem alijs, qui res præclaras ingenio, ſtudioq́; cõſecuti ſunt, benè iam eſſe cognitũ, ac perſuaſum facilè puto: nõ eſſe eam inter ea, quę minimi ducuntur: non vulgarem, non leuem: ſummum eſſe quiddam, ac planè diuinum: quiq́; ſuas ad eam cogitationes conferant: etiam ſi, quod volunt, non aſſequantur; probandos tamen eſſe, quia ſcilicet ad maxima contendant: qui verò in ea ita verſentur, vt excellant: colendos nobis eſſe vehementer: omniq́; omniũ laudum genere cohoneſtandos.

Admiror equidẽ fuiſſe, hodieq; eſſe nõnullos: qui rem hanc pulcerrimam, ac deorum nobis munere conceſſam, parui pendant; atq; etiam, ſi dijs placet, in ſermonibus vituperent. Quid, inquiunt, eſt poëtica? fabulas continet. fabulis autem quid inanius? Ridiculè; qui ex ipſorum ingenijs, cæterorum ingenia metiantur: queq; ipſis obſcura ſunt, ea reliquos videre nõ putẽt. Ego contrà ſi in hos incido, ita diſputare ſoleo: Eſtne aliquid hominum generi vtilius, aut omninò philoſophia præſtantius? negare coguntur. ſi negent, eos ratio refellet, & veritas ipſa: quæ quum pugnat, facilè vincit. vna enim eſt Philoſophia; quæ vitia noſtris ex animis euellat; vna, quæ inſerat virtutes: humana omnia, multis obſtructa difficultatibus, aperit; diuina, non illa quidem prorſus, ſed magna tamen ex parte patefacit. atque hanc, quæ tantas res præſtat, ſiue artem, ſiue ſcientiam, ne communis eſſet omnibus, vulgiq; tractatione, impuriſq; mentibus contaminata ſordeſceret, obſcuris fabularũ inuolucris, quaſi aliquid ſa-

croſanctum, velauit, & cuſtodiuit antiquitas. Fabulas perrò ipſas non ex eo, quo vulgus vtebatur, communi, & ſoluto, ſed exquiſito, & numeris adſtricto orationis genere, priſci illi, ſumma homines ſapientia præditi, prodiderunt. Placebat hoc illis, primùm vt rei dignitatem, ſi poſſet, & quatenus poſſet, verborum augeret elegantia: lectis enim, admodumq; puris è vocibus efficitur verſus: nihil hauritur de fæce. deinde quia quum philoſophiam tractarent, maiore neſcio qua ſuauitate, ex illo concentu, quem numeroſa vocũ in verſibus compoſitio gignit, aures, animosq; perfundi pulcrum putabant. Quæ quum ita ſint: neque fabulas, quæ philoſophiam continent, neq; verſus, quibus fabulæ ipſę continentur, iure quiſquam reprehẽderit. His ego ad coarguendum iſtorum inſcitiam, alijsq; præterea vtor argumentis: addo exempla, eaq; Italorum, & eorum hominum, qui noſtra, patrumq; memoria floruerunt.

IVLII CAESARIS SCA-LIGERI.

ANni vitia, atq; aëris inuidum venenum,
Vrgente precum carmine decedere credunt.
Tun' tergi animos carmine, & ambiges poliri?

LECTORI S.

PAucas epiſtolas quaſdam à claris, & doctis viris Germaniæ ad auctorem ſcriptas, & è magno aceruo interim ſelectas, ſubijcere nobis placuit ad calcem huius operis: donec ſuo aliquando tempore reliqua quóq; in publicum emittantur. Quam opellam noſtrã lectori candido, & amico minimè improbatum iri confido.

IOACHI-

IOACHIMVS CAMERARIVS PAPEBERG.

NICOLAO REVSNERO Leorino V. CL. S. P. D.

QVOD ſeriùs reſpondeo literis tuis ad me humaniſſimè ſcriptis, mi Reuſnere: partim impediente hoc officium valetudine infirmiore: partim non offerente ſe mittendi literas occaſione, factum eſt. Iam verò oſtenſam mihi ad te ſcribendi occaſionem nolo prætermittere: ſed ea me tam prolixè, qnàm ego cupio, vti non ſinit valetudo mea, vt dixi: quæ poſt grauem admodum tentationem adhuc eſt ſanè infirma, atque imbecillis. De tuis Cæſaribus res mihi, vnà cum Mich. VVirtho, & fuit, & eſt curæ. Sed mihi typographi in recipiendis talibus ſcriptis ad exprimendum eſſe videntur faſtidioſi. Si nō poterit effici, quod cupimus: Baſi-

Baſileam eos mittendos eſſe cenſeo: quo in loco facilè reperturos nos eſſe non dubito, qui velint elaborare editionem. Quanquam iſthic penè biennium Ethica mea detinentur: & hiſtorica quædam ante multos annos eò miſſa, ſunt amiſſa: quemadmodum mihi ſignificatur. Sed, vt ſcripſi, res mihi curæ erit: & ipſe optarim tuum opuſculum quàm primũ prodire in publicum. Percurri obiter legendo omnes Cæſares Romanos: eorumq́; lectione plurimùm delectatus ſum: cùm ob numerorũ concinnitatem, & venuſtatem: tùm ob ſententiarum grauitatem, & rećõditam breuitatem. De carminibus ſacris tuis magnam habeo gratiam. Porrò quod neſcio quarum ſuſpicionum meminiſti: de eo ſecuro ſis animo licet. Omninò enim φίλον σ' ἐγὼ μέγιστον ἡμέτερον νέμω, vt Sophoclea implicem. Neque te ſolùm, ſed vos iſthic omnes. De quo pluribus opus non eſt. Valebis igitur, & nos, quod facis, amabis. Lipſiæ. Non. Octobr. M. D. LXXI.

GEOR-

GEORGIVS FABRICIVS CHEMNIC. N. REVSNERO Leorino S. P. D.

MAGNAM mihi ſpem feciſti, vir clariſſime, ornandæ aliquando, iuuandeq́; Reipub. Chriſtianę: miſſo pręclaro illo, & egregio munere carminum tuorum ſacrorum: quorum equidem lectione maiorem in modum delectatus ſum. Neque enim ſolùm in his me affecit ſuauitas numerorum, atq; orationis elegantia: verùm etiam argumentum ſcribendi: quod & ingenio tuo, & hominis Chriſtiani ſtudio planè digniſſimum iudico. Cæſares tuos, de quibus ſcribis, tandem aliquando videre cupio: & hoc ipſum mecum cupiunt alij homines eruditi: qui præclari aliquid operis futurum augurantur: cuius generis ſunt omnia, à ſummo tuo ingenio, exquiſitaq́;, & multiplici doctrina profecta. Tu editionem horum matures velim:

lim: quam & tibi honorificam, & alijs vtilem fore non dubito. Vale. Miſena. Idib. Febr. M. D. LXXII.

ADOLPHVS OCCO III. MEDICVS, ET HISTORICVS Reipub. Auguſtanæ, N. Reuſnero S. P. D.

VIDI Imperatorum, ac Cæſarum Romanorum, à Iulio Dictatore ad Maximilianum II. breues illas tuas, & illuſtres deſcriptiones, clariſſime Reuſnere: quas mihi ſegendas hîc exhibuit princeps noſter Io. Egolphus, Epiſcopus Auguſtanus. Proinde quum videam te virum doctum; nec iuris tantum ciuilis peritia, ſed poëtica etiam laude, & literarum elegantia excellentem: quumq; humanitate præterea, & comitate ſingulari præditum te eſſe intelligam: ex relatu, & commendatione quorundam, qui in aula viuunt: facere equidem non poſſum, quin

quin amicitiam tecum, & familiaritatem aliquam conſtituam. Spero autem, vel planè potius confido: te in numerum amicorum tuorum, qui te merito tuo & diligunt, & colunt, libentiſſimè quoque me recepturum: quod vt credam faciliùs: facit cùm humanitas tua eximia, & naturæ bonitas peruulgata: tùm verò paritas, & communio ſtudiorum: in qua ad amicitiam conciliandam multum momenti poſitum eſt. Conſtitui enim in publicũ edere numiſmata omnia, quotquot vidi hactenus, Imperatorum, vt & imperatricum, à Pompeio Magno ad Heraclium vſq;: opuſculum omnibus antiquitatum ſtudioſis magnoperè expetitum; & in primis vtile, atque neceſſarium: in cuius ſtudio propemodùm viginti annos maximo cum labore verſatus ſum. Gratiſſimum profectò mihi feceris: ſi laborem hunc meum carmine aliquo tuo exornare volueris: quod apud me quaſi pignus aliquod, & fœdus amicitiæ, coniunctionisq; noſtræ futurum eſt: idq;

 à me

à me violari nunquã patiar. Quòd ſi aliquando Auguſtam veniendi tibi dabitur occaſio: coràm me tibi eum exhibebo: vt amicum, & hominem ſtudioſum decet. Benè vale, & reſcribe; ſi quidem amicitia tua dignum me iudicas. Dillingæ, E caſtro principis. IX. Cal. Iun. M. D. LXXV.

IACOBVS MONAVIVS PATR. VRATISL. N. REVSnero Poëtæ, & Iuriſc. S. P. D.

ITA ſuauiter me libelli cuiuſdam tui lectio delectauit: & tam ſuauiter veteris amicitiæ noſtræ memoriam in animo meo renouauit (ſi modò renouatum dici poteſt, quod nunquam planè inueteratum fuit) vt continere me non potuerim: quin has ad te literas mitterem; ſanè illas breues, & puſillas; verùm quæ tamen longæ etiam videri poterunt, & copioſæ; ſi de animo meo, qui in te prolixus eſt, eas æſtimaueris. Quod

Quod vt facias: & me, vt olim feciſti, nunc quoq; ames; meq́; tui & amantiſſimum, & ſtudioſiſsimum mutuò diligas; maiorem in modum abs te peto. Colloquemur etiam poſthac ſæpius per literas, ſi volueris. Tu verò etiam operam dabis; vt eorum deſiderijs, quæ Typographus tuus in calce libelli, de quo loquor, excitauit, quàm primùm ſatisfiat. Præſertim verò Emblematum tuorum editionem vrgebis; quorum exemplum, cum ſubſcriptione manus tuæ, certas ob cauſas abs te expectabo. Vale, mi cariſsime Reuſnere; & hanc ab optimo, & tui amantiſsimo animo profectam ſalutationem, vt ſemper optimus fuiſti, in partem optimam accipe; & me (quod vt facias, oro) ama, tibi, vti dixi, amiciſsimum. Vratiſlauia. XV. Nouemb. M. D. LXXIIX.

THEODORVS ZVINGERVS N. REVSNERO S. P. D.

MONVI te non ita pridem, vir doctiſ. Petr. Pernam itinera tua ſuſcepturũ: vt prælo ſubijciat: Neq; ego tua cauſa, cui eruditionis, & amoris nomine & multum, & mutuum debeo, conſilio ei, ſi opus fuerit, deero. Pro literarijs tuis muneribus gratias tibi ago, habeoq́; : multò verò magis, quòd me carminũ tuorum honorario nobilitare volueris. Gratum eſt officium tuum: etſi præſtabat in virum doctiorẽ, melioremq́; conferri: niſi fortè illud exiſtimas, & ego conſentio: quò quis melior eſt, & virtute inſtructior: eò minus alienis eum indigere laudibus: quò minùs, eò magis. Laudo φιλοπονίαν tuam. Diuinum eſt illud Hippocratis noſtri: ὅπου μὴ ἀργέιν, οὐδὲ μὴν κακίην. Si quid eſt, in quo tibi gratam animi ſignificationem oſtendere poſſim: faciam id merito tuo libentiſsimè. Vale. Baſilea. Cal. April. M. D. LXXIX.

IOAN.

IOAN. SAMBVCVS N. REVSNERO S. P. D.

ET σαφήνειαν τῇ δεινότητι iunctā in tuis Imperatoribus, & geniū ſcribendi amplector. Si totidem luſtra, quot excurrêre, ætatem (quod opto) iſtam ſequentur: vix auſim polliceri de te meliora. Deſcripſit Mylius heroas ſacros, & profanos, haud iniquo carmine: ſed grauitatē cum venuſtate tuorū antepono. Teſtimonium Cratonis egregium, & verum de te agnoſco. Colui ego aliquando hæc ſtudia: & quos ad ea excellere natura, aut voluntate, non inuito Genio, ſenſi, cohortatus ſum libenter: nunc illo ardore remiſsiore, nihil pango: miror tantū tui ſimiles. Quod verò à me requiris Epigramma: næ ego rana inter olores, tibi obſecutus, interſtrepo. Tu boni conſule: meq́; in tuis familiaribus repone. Cuius ego honoribus, atq; monimentis poſteritatem gratā, memoriamq́; precor ſempiternam. Viennæ. Cal. Martij.

EIDEM.

E I D E M.

TE ad omne genus ſcientiarum, atq; eruditionis excellere lętor: vnde ſcio varietatem iſtam copioſam manare; in qua τὸ εἰλικρινὲς, ϗ ὥσπερ ἐνσώματον δεινὸν, valde probo. Quid affectior ætas, quam diuturnam, & vegetã opto, datura ſit; vel melius, quid quiſq; à Præſtantis ingenij vi expoſcere debeat: tute omnium optimè, qui tam amplè ac luculentè argumentum, quid quiſque ſit, aut valeat, cognoſcendi tractâris, æſtimare potes. Scio qui tuus pudor eſt, ac modeſtia (ἵνα γὰρ δέος, ἔνθα ϗ αἰδώς, κατὰ τὸ Στασίμου in Eutyphrone) gratia, & amore liberaliùs me effuſum diceres; ſi tè non immerentem coloribus attingerem. Ego ſpiſſo, ac lento hiſtoriarum opere diſtẽtus; quibuſdam etiam alienis ſanandis, & ab tineis liberandis occupatus: ad amœnitates iſtas tuas Muſarum, hortorumq́; reſpirare nequeo; & ſi tantum ocij impetrarem; agnoſco vires, & exercitationem longo intermiſſam interuallo. Vbi tamen

men Ariſtotelis, & Dioſcoridis opera, tot vigilijs meis nonnihil reſtituta, cum aliquot alijs minorum vigiliarũ opuſculis, è tenebris, clauſtrisq; librariorũ expedita fuerint: quàm etiam valeo, amplius tentabo. Tu verò, mi pręſtantiſſime Reuſnere, ab inſtituto nullis te impedimentis, aut diuortijs ſplendidis dimoueri patiere: ſi fortè gratiam laboribus, & patrocinium anguſtius lucubrationibus propoſitum querere: poſteritatem intuitor: cuius opinione, & memoria omnes laborum fructus exæquari, nitiq; videmus. Si quid Sambuci opella in tuis effecerit: nil reticeto. Vale. Raptim. x. Cal. Septemb. M. D. LXXIIX. Vienna.

RICH. STREINIVS BARO, &c. N. REVSNERO S.

TRANSMISSI ad me ſunt, exactis menſibus aliquot, libelli tui Monarchici, vt apellas: vnà cum literis. Sed quia nemo erat, qui reſponſum vr-

geret: neq; ſcirem, cui tutò committerem; reſcribendũ non putaui. Nunc verò, ne nimium differendo vel ingratus, vel inhumanus videar (vtrunque enim graue) has ad te dare volui. De illis igitur libellis tuis, multum te & amo, & gratiam habeo. Sunt enim elegantes: argumentum graue: numeri venuſti: &, quod venuſtatem multò maximè commẽdat, breues. Habent etiã Epigrammata ſuam laudem quaſi peculiarem. Vnum hoc mihi ea in re permoleſtum accidit: quum eam, quã à me expectas, operã, quæ tibi alioquin paratiſſima eſſet, pręſtare non poſſum. Ego enim valetudinis cauſſa iam pridem ab aula diſceſsi: & nunc quoq; togam raram, vt ille ait, togam optimam eſſe duco. Nihilominus, ſi quid vſus venerit, in quo tibi aut commodare, aut prodeſſe queam, faxo intelligas, me tibi ſemper amiciſſimum fore. Benè vale. Cal. Nouembris. Anno LXXIX. Freideccio.

RVPER-

RVPERTVS A STOTZINGEN, CAES. CONSIL. NICOLAO Reuſnero Iuriſconſulto S. P. D.

LITERIS tuis, cum munere orationum panegyricarum, & itinerum à doctis hominibus conſcriptorum, vehementer ſum delectatus. Quæ delectatio longè maior futura eſt: vbi ea itinera, quæ ipſemet per Galliam, Italiam, Hiſpaniam olim confeci, per otium legere potuero. Sanè admiror ingenij tui felicitatem, ſummamq́;, in ſcriptis immortalitati tradendis, induſtriam, & diligentiam. Quæ certè tanta eſt: ac ſi adminiſtratione, & cura illa tum domeſtica; tum in erudienda iuuentute publica nō defungerêre: ſed totus in ſcribendi, & commentandi munere eſſes occupatus. Nam libri tui, quos in omni ſtudiorū, & literarū genere in lucem hactenus dediſti, magnā doctrinam prudentiam, vſum, & exercitationem, acutiſſimumq; in rebus inueniendis ingenium, & in

iudicādis iudicium acerrimum redolent. Minimè igitur dubito: quin hiſce tuis ſcriptionibus, & commentationibus æternam, & nunquam intermorituram laudem ſis conſecuturus. Cæterùm de tuo negocio, quemadmodum ſcribis, ita mihi curæ erit; quod tibi de me perſuaſiſsimum eſſe volo. Atque hęc ſunt, quæ raptim ad tuas reſcribere volui. Vale, doctiſsime Reuſnere. Vienna. xv. Cal. Septemb. M. D. LXXX.

NICOLAVS CISNERVS, CAM. IMPER. ASSESSOR, N. REVSNERO IC. S. P. D.

GRATISSIMAE mihi fuerunt literæ tuæ: nō ſolùm eam ob cauſam, quòd puræ, elegantes, & doctæ eſſent: ſed & quòd humanitatis, & beneuolentiæ erga me tuæ certam haberent ſignificationem. Ac tibi maximas ago gratias: quòd mihi his ad amicitiam tuam aditum pateſeciſti. Nihil enim

hil enim mihi eſt doctorum, & bonorum virorum notitia, & fauore antiquius: in quibus tu non infimum locum obtines. Iampridem enim monumenta ingenij tui te, & omnibus doctis commendârunt; & memoriæ conſecrârunt ſempiternæ. Quocirca ſi à me quoque omnia amiciſsimi hominis officia tibi perſuaſeris: non fallam opinionem tuam. Quòd ſi in re quapiam tibi opera, & ſtudio, facultatibusq́; meis adeſſe potero: dabo operam, vt intelligas: quanti amicitiã tuam faciam: quod re ipſa pręſtare malo, quàm multis verbis polliceri. Cæterùm Emblemata, & Agalmata tua valdè probo: eaq́; lucem quàmprimũ videre cupio. Puto te vidiſſe iamdudũ ſymbola Achillis Bocchij, Bononiæ excuſa: & typis, atq; picturis elegãtiſsimis, & doctiſsimis carminibus expreſſa: quæ magni fiunt ab omnibus: & tribus hîc veneunt aureis. Si qua in re tibi vſui eſſe potero: faciam & libenter, & ſtudioſe. Vale. Spiræ. XVI. Decemb. M. D. LXXIX.

DAIVD PEIFERVS I. V. D. CONSIL. SAXON. ELECT. N. REVSNERO V. CL. S. D. P.

EST ita profectò, clariſsime & doctiſſime Reuſnere: vt bonos boni etiam non viſos diligant: adſciſcantq́; eos ſibi quaſi propinquitate, & natura coniunctos. τὸ γὰρ ὅμοιον τοῦ ὁμοίου ἐφίεται, iuxta Empedoclem. Id verò etiã tum fieri magis oportet: quum ab eo, quem ob virtutem admiramur, aliqua præter expectationem ad nos proficiſcitur beneuolentię ſignificatio: qua latens ille in natura diligendi ſenſus, quaſi flammæ ſcintilla fomiti iniecta, incendio flagrat magis. Idem mihi lectis literis tuis, elegantiſsimè, & humaniſsimè ſcriptis, euidenter accidit. Nam quum antehâc ex doctiſsimis tuis libris in te quaſi lumen aliquod doctrinæ, probitatisq́;, & virtutis proſpexiſſem: teq́; mecum natura, & ſtudijs congruere animaduertiſſem: alitet fieri nõ potuit; quin magni te etiam tum ignotum facere. Po-

re. Poſtea autem quàm tuæ mihi allatæ ſunt literæ; beneuolentiæ, atq; propenſionis erga me tuæ ex omni parte pleniſsimæ; tantus ad voluntatem meam priorem cumulus acceſsit: vt antè dilexiſſe tantùm, iam verò etiam amare te mihi videar. Quamobrem perſuaſum tibi eſſe debet; te mihi eſſe cariſsimum; cùm propter ſuauitatem ingenij, & humanitatis tuæ: tum quòd me abs te amari ſentiam. τὸν δὲ φιλέοντα μὴ φιλεῖν, τῆς μισανθρωπίας ἐστι: à qua ego natura, & inſtitutione ſemper fui alieniſsimus. Et quia hoc tempore ea mihi facultas non datur; vt te corã compellare queam, & dextræ coniungere dextram (vtor enim libenter Poëtæ noſtri verbis) hoc ſaltem relinquitur; vt præſentiæ tuæ deſiderium monumentis diuitis ingenij tui eruditiſsimis mihi minuatur. Itaq; & libellos tuos, quos huc miſiſti, amplector, atq; exoſculor; & quod horum lectionis participẽ me feceris, tibi gratias amanter ago; & patronis ijs, quibus inſcripti ſunt, cum honorifica tui mentione tum of-

feram:

feram quum ſe dabit nobis occaſio: quã quia captare libet optimam: haud exiſtimaui curſorem tuum diutiùs detinendum eſſe. Interea & ego in tua erga me beneuolentia acquieſco: tibiq; profiteor eximium meum in omni officiorum genere, quod ad alendam amicitiam noſtram, & ad honeſtatẽ, glotiamq́; tuam ſpectat, ſtudium: & à te vehementer etiam atque etiam peto: vt egregiũ tuum erga me animum, quem tuis mihi literis declaraſti, perpetuo retineas; ac epiſtolam hanc fœderis habere vim exiſtimes. Quod reliquum eſt, opto tibi ex animo; vt re ex ſententia in hoc itinere tuo quàm rectiſsimè confecta, lætus, atque incolumis ad tuos mox reuertaris; & quæ cupis, cum magna dignitate, conſequaris omnia; ſic vt in omnibus tuis rebus, optatis meis fortuna reſpõdeat. Vale, & me, vt inſtituiſti, ama. Dreſdæ. XV. Cal. Iul. Anno M. D. XXC.

CARO-

CAROLVS VTENHOVIVS, CAR. F. N. REVSNERO LEORINO V. CL. S. P. D.

MI NICOLAE, *victor ô populi, à Deo*
Tibi patre noſtro, Heroq́; Ieſu Chriſto ego
Pacem precatus, atq́; gratiam, loco
Salutis æternam & perennem plurima:
Te certiorem facere volui me, tuis
Cum literis Phaleucios dudum tuos
Meo dicatos nomini accepiſſe: ſed
Neſcire, quis eas tulerit iſthinc huc mihi,
Quumq́; Aulicus non ſim, ſed Vtenhouius,
Hoc eſt, ab aula Principis alienior,
Aulæq́;, ſi quis alius, oſor maximus:
Reſponſionem ſcito me eam hactenus
Neſciſſe cui mortalium ad te traderem
REVSNERE: *donec heri Ludolphus ille, cui*
λίθος, *dedit cognomen,* & κώμη, *meam*
Duſſellopago ſpontè vênit ad domum:
Cras eſſe, qui Lauingam adiret, dictitans:
Tabellionem nempe principis ſui.
Nec mora, negocijs licet quàmplurimis,
Grauiſſimisq́;, nundinas propter, forem
Nunc occupatus: litteras meditans nouas,
Non ad nouos, ſed amiculos veteres: quibus
Epiſtolarum Nundinalium indidi
Titulum: ſed Autumnalium, vel ὀπωρινῶν,
Non ἐαρινῶν: *calamo manum admoui vuido:*
Tibiq́;, mi Leorine, quamuis perparum,

Dd *Quod*

Quod ſcriberem, eſſet: præter ingentes, tuus
Quas candor iſte gratias poſcit, tamen
Non potui inanem nuncium dimittere,
Rediturientem pauculos intra dies
Duſſellopagum: vel tuas vt literas
Hac arte poſſem elicere iucundiſſimas,
Modulosq́; melle dulciores Attico,
Vel nomen vt, celeberrimum licet, tuum
In Epiſtolarum Nundinalium libris
Sic Nicolaos inter huius ſæculi
Fulgeret, inter vt minora ſidera
Phœbe. Ludolphi filium interea tuæ
Commendo fidei, diligentiæq́; : ne
Dum plura meditor, diligentiam meam
Iouis anteuertat nuntius noſtri. Vale:
Tuisq́; copioſiorem literis
Materiam amabò ſuggeras cupido mihi:
Phaleuciosq́;, quos tuis Phaleucijs
Totidem rependo, conſulas boni. Vale,
Vale, vale inquam ter quaterq́;, cum tuis
Muſisq́;, Gratijsq́;, ſymmiſtis tuis.

Nuſsiæ Prid. Cal. Sep.
M. D. XXC.

Μὰ. ΚΑΡ—ΟΛΑΟΣ ΟΥΘΕΝ—Ω—ΒΙΟΣ.
Tuus ille amicus, omnibus amiciſſimus
Pietatis eruditioris aſſeclis
Vel eruditionis aſſeclis piæ.

F I N I S.

IEREM-

IEREMIAS REVSNERVS LEORINVS, LECTORI S.

OPERÆPRECIVM facturus mihi videor: ſi omnium operum auctoris, quæ ab eo hactenus ſcripta & partim iam edita, partim editioni adornata ſunt; breuem indicem, & catalogum, vna veluti tabella ob oculos ſingula ponentem; ad calcem libelli huius adiungam: vt quid de eo aut ſperandum, aut iudicandum ſit, meliùs appareat. Vale, mi Lector, & fruere.

- OPERUM Auctoris noſtri ſunt quædã.
  1. Ἄμετρα, id eſt, ſoluta oratione ſcripta: Quæ aut ſunt
     - Philoſophica, Eáque vel
       - Ethica, vt
         - Politicarum diſputationum lib I. Lauing. & Argent. 1579.
         - Ethica Tulliana, nondum excuſa.
       - Logica, vt
         - Dialecticæ lib. IIII. Lauing. 1571. Argent. 1578.
         - Rhetoric. partim ea
           - Γνώσει, ſiue cognitione pręceptorũ, cuiusmodi ſunt, Elementorũ Rhetoricæ lib. II. Ibid.
           - Πράξει, ſiue exercitatione: vt Orationum Panegyricarum Decades 8: Sacræ II Politicæ III. Hiſtoricæ II. Philoſophica I.
     - Iuridica, vt ſunt
       - Medulla Iuriſprudentiæ Iuſtinianeæ, ſiue μικροτέχνη: nondum edita.
       - Diſputationum Iuris ciuilis libri tres: Argen. 1579. cum alijs nonnullis diſputationibus eiuſdem generis, Lauing. excuſ. An. 1579. & 1580.
       - Partitio Iuris ciuilis, & Pontificij, ex comment. Hopperi. Et alia quædam in Iure ſcripta: de quibus aliâs.
  2. Ἔμμετρα id eſt, ligata oratione compoſita.*
  3. Συμμικτά, id eſt, Mixta, partim ligata, partim ſoluta oratione facta. **

* OPERA ἔμμετρα, id eſt, numeroſa, ſunt vel

- 1. Sacra, ſiue Theologica, vt ſunt
  - Chriſtiados, ſiue carminum ſacrorum lib. IIII. Lauing. 1571.
  - Primę Dei Eccleſię Fragmentum, ibid.
  - Diſticha
    - Euangelica
    - Epiſtolica
    - Græca, cum Fabricianis Latinis excuſa Francofor-ti 1580.
- 2. Phyſiologica, vt eſt Paradiſus, ſiue Hortulus Poeticus, Baſi. 1578. Septem libris conſtans, quorũ nomina ſunt:
  - 1. Pomarium.
  - 2. Roſarium.
  - 3. Frumentarium, & Olitorium.
  - 4. Leporarium.
  - 5. Auiarium.
  - 6. Piſcaria.
  - 7. Spelæum. Item Penus Poëtica, ibid.
- 3. Geographica, ſiue Apodemica, vt ſunt libri ſeptẽ itinerum, ſiue Hodœporicorũ vniuerſi ferè orbis terrarum:
  - 1. Catholicorum.
  - 2. Græcorum.
  - 3. Italicorum.
  - 4. Italogermanicorum.
  - 5. Pannonicorũ, ſiue Noricorũ.
  - 6. Rheticorum, & Francicorum.
  - 7. Saxonicorum, & Sarmaticorum, Baſil. An. 1580.
- 4. Hiſtorica. A.
- 5. Mythologica. B.
- 6. Poëtica. C.
- 7. Miſcellanea. D.

A OPERA Hiſtorica, vt ſunt

- Monarcharum, ſiue ſummorum Regum libri ſeptem.
  1. Aſsyriorum.
  2. Perſarum.
  3. Græcorum.
  4. Romanorum Ital.
  5. Romanor. Byzantinorum.
  6. Græcorum Byzantinorum
  7. Germanicorum Cęſarum. Lipſiæ, Lauingæ, Auguſtæ excuſi 1578.
- Principum Septemuirorum, ſiue Electorum lib. III.
  1. Palatinorum.
  2. Saxonicorum.
  3. Brandenburgicorum. Auguſtæ, 1578.
- Principum, & ducum Venetorum, Lauingæ, 1579.
- Principum Palatinorum, & Boiorum, Lauing. 1567.
- Ἱεραρχία, ſiue Regnum Pontificium. } nondum excuſa.
- Ποικίλη, ſiue Theatrum Baſilicum. } nondum excuſa.

B Opus Mythologicum, voco Ἀγαλματοποίησιν, ſiue Pictam Poeſin Ouidianam: quæ eſt Theſaurus omnium propemodum fabularum Poeticarum: Fauſti Sabæi Brixiani, aliorumque clarorum virorum, tam veterum, quàm recentium Epigrammatis illuſtratarum: ex recenſione Nic. Reuſneri, &c. Francoforti, 1581.

C OPERA Poetica, vel ſunt

- Latina, in quorum numero ſunt
  - Elegiarum libr. V.
  - Epigrammatum IX.
  - Heroicorum III.
  - Soteriorum I.
  - Philoteſiorum I.
  - Miſcellorum I.
  - Exoticorum II.
- Græca, vt ſunt
  - Odarum lib. II.
  - Carminum III.
  - Elegorum } fragmenta.
  - Epicorum } fragmenta.

Quæ omnia

Quæ omnia in tres partes digeſta, iam ſub prælo ſunt. De Gratiarum libris tribus aliàs.

D
OPERA Miſcellanea voco
- Stemmatum, ſiue Armorum Illuſtrium, lib. III.
- Emblematum libros V. Quòd nimirum ea partim ſint ſacra, partim Hiſtorica, partim politica, partim phyſica, partim mythologica, & allegorica, & Hieroglyphica, & Symbolica, &c. Francoforti, 1581.

SYMMICTA opera, id eſt, partim ligata, partim ſoluta oratione conſcripta: Cuiuſmodi ſunt libri,
- De illuſtribus vrbibus
  - Imperij Romani libr. II. Baſileæ.
  - Italiæ.
  - Galliæ.
  - Germaniæ totius.
  - Græciæ, &c.
- De fluminibus Germanicis libri IIII.
- De montibus. Quorum pars maxima adhuc in ſcrinijs eſt.

Sunt etiam alia præclarè inchoata multa: ſed nondum planè perfecta: quæ in hoc elencho non ſunt comprehenſa: de quibus alius erit monendi locus.

FINIS.

IMPRESSVM FRANCOFORTI AD MOENVM, PER IOANNEM FEYERabendt, Impenſis Sigiſmundi Feyerabendij.



M. D. LXXXI.